C. A. LANGHEINRICH

SCORBUTI RATIO HISTORICA

Dissertation, Berlin

1839

SCORBUTI RATIO HISTORICA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS HISTORICO-PATHOLOGICA

IN NATALICIIS FRIDERICI GUILELMI III. REGIS NOSTRI CLEMENTISSIMI CELEBRANDIS

PRAEMIO ORNATA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Arminius Langheinrich

BEROLINENSIS.

Opponentibus:

A. REHFELD, med. et chir. Dr. med. pract.
E. EVERTH, med. et chir. Dr.
C. CREDÉ, med. et chir. stud.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRIS

ILLUSTRIBUS, CLARISSIMIS, AMPLISSIMIS

LUDOVICO CREDÉ,

IN SUMMO MINISTERIO RES SACRAS ET SCHOLASTICAS ET MEDICAS CURANTE REGI A CONSILIIS INTIMIS, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA EQUITI,

ET

ADOLPHO MAETZKE,

REGI A CONSILIIS INTIMIS IN SUMMO MINISTERIO RES INTERNAS ET POLITICAS REGENTE, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE EQUITI,

FAUTORIBUS ET PATRONIS BENEVOLENTISSIMIS

DE SE SUISQUE MAXIME MERITIS, SUMME COLENDIS

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

J. F. C. HECKER, M. D.

MEDICINAE IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE ET RUSSICI ST. VLADIMIRI IN CLASSE QUARTA EQUITI, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI SOCIO, REGIAE ACADEMIAE MEDICAE PARISIENSIS, ACADEMIAE SCIENTIARUM ET ARTIUM LUGDUNENSIS, ACADEMIAE SCIENTIARUM ET ARTIUM DIVIONENSIS, MEDICO-CHIRURGICAE VILNENSIS, SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE HUFELANDIANAE, SOCIETATIS MEDICINAE PER BORUSSIAM EXCOLENDAE ET MEDICO-PHYSICAE BEROLINENSIS, MEDICAE BRUXELLENSIS, MEDICAE HAFNIENSIS, LIPSIENSIS, LONDINENSIS, LUGDUNENSIS, MASSILIENSIS, METENSIS, MOSQUENSIS, NOVO-EBORACENSIS, PHILADELPHIENSIS, TOLOSENSIS, TURICENSIS, VARSAVIENSIS, SOCIETATIS NATURALI SCIENTIAE PROMOVENDAE WETTERAVIENSIS, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE BONNENSIS, DRESDENSIS, ERLANGENSIS, HEIDELBERGENSIS, INSTITUTI ALBANENSIS, SOCIETATIS MEDICORUM SUECANAE HOLMIENSIS ET ACADEMIAE PONTANIANAE NEAPOLITANAE SODALI ETC.

PRAECEPTORI AC FAUTORI BENEVOLENTISSIMO

AD CINERES USQUE PIO GRATOQUE ANIMO COLENDO

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum superiore anno in celebrandis Regis nostri nataliciis a medicorum gratioso ordine »quaenam Scorbuti sit ratio historica« quaestio cum praemio commilitonibus proponeretur, quam maxime hanc quaestionem esse obscuram, quam maxime quae accurate dirimeretur, difficilem optime statim cognovi, viresque meas infirmiores esse intellexi, quam quibus materiam tam amplam satis enucleare possem. Nihilominus ipsa materiei gravitas vehementer me allexit, quare ad enucleandam eam, quoad virium debilitas pateretur, animum appuli, minime vero, ut tam prospere propositum mihi cederet, fore speravi.

Praemium, quo opusculum, quod elaboravi de illa quaestione, a medicorum gratioso ordine nunc ornatum est, magis me horum virorum benignitati atque indulgentiae, quam opusculi mei verae dignitati debere, quam optime scio. Summopere igitur a Vobis, Lectores benevoli, quoque peto, ut eandem in dijudicandis hisce primitiis mihi largiamini indulgentiam, eo magis, quod multa et gravia hic omisi, quae perfecta quaestionis illius expositio addi jubet. Impensae typographicae, quominus

integrum illud opusculum hac dissertatione inaugurali repeterem, me impedierunt, neque alia hisce paucis paginis complecti mihi permiserunt, nisi quae perinde necessaria sunt ad obiter explicandam scorbuti historiam.

Scorbutus tanquam morbus universalis hodie nusquam reperitur, nisi in iis Europae partibus, quae ad Orientem et ad Septentrionem sitae sunt (1), cui rei certe tribuendum est. quod non apud vulgum solum, verum etiam apud medicos omnino fere exstincta est memoria auctoritatis ejus, quam saeculis prioribus in omnium Europaearum gentium vita haec dyscrasia obtinuerat. Neque tamen in doctrina nostra silentio omitti, sed protrahi potius ad clariorem lucem debet ex tenebris, quibus nunc obruta et circumfusa latet; per integra enim saecula tria tanquam generis humani universi morbus communis viguerat, strages multas magnasque gentium ediderat, morbos quicunque una cum eo exstiterant proprie immutaverat, in pejus plerumque eos convertens novasque aegrotationes antea nemini notas, neque unquam visas provocans multum haud dubie valuerat ad artem nostram excitandam ex alto illo sopore, qui per aevum medium eam tenuerat, ad alacriorem hanc vitam atque studium ardentius, quo hisce proximis saeculis viguit atque floruit.

Sicuti vero in omnibus iis, qui unquam corripuerant gentes aut viguerant per saecula, morbis recte di-

---

(1) Hecker. Rede 1837. Ejsd. Geschichte p. 610. aph. 12.

judicandis ad statum atque naturam illorum, quibus proprii fuerant, temporum animos attendamus necesse est, ita, ut de hujus scorbuti quoque origine et natura judicium rectum feramus, saecula XV. XVI. XVII. XVIII. perscrutari debemus; per omnia enim saecula genus humanum quasi unum aliquid est intelligendum, non minus corporum quam animorum evolutionis et conformationis per longiores annorum series conditiones alias accipiens, corporumque qualitates varie mutans ex temporibus variis atque valetudinis vices modo has modo illas induens (1). Quas valetudinis vices si constitutionum universalium nomine designare velimus, putridam constitutionem, quae integris illis saeculis fuerat communis, dyscrasiam illam per tot gentes terrasque divulgatam provocasse fatebimur. Cum temporum vero illorum statu, cum singularibus, quae tunc acciderant terrae nostrae motibus, vicissitudinumque anniversariarum a cursu normali declinationibus, cum gentium vitae victusque genere, cum moribus atque consuetudinibus, imo cum animorum cultu quam arcte cohaeserit et prodierit ex harum rerum omnium effectu communi putrida illa constitutio, quam clarissime ex historia elucet (2) Intueamur quidem alteram saeculi XV. partem, perpendamus terrae nostrae qualis tunc fuerit natura, perscrutemur gentium victum atque cultum, revocemus in memoriam, quae tunc in vita publica atque privata nova et magna acciderint et certe satis multa, satis singularia tunc concurrisse intelligemus, ut proprie converteretur

---

(1) Hecker, Geschichte, Vorrede p. IV. X. XI. et seq. Eod. loc. p. 608. Aphor. 1 3.

(2) Hecker, Gesch. p. 609. Aphor. 7.

gentium valetudo morbique perinde peculiares constituerentur. Sudor anglicus, scorbutus, typhus petechialis atque lues venerea, teterrimae quatuor illae pestes atque crudelissimae, id satis aperte ostendunt: uno eodemque fere tempore in variis Europae partibus in gentes irruperunt atque per longa tempora simul grassantes symptomatibus, quae secum tulit quaevis earum, perspicuam fecerunt aevorum illorum constitutionem putridam, ex qua una omnes prodierant. Attamen scorbutus sine dubio prae caeteris medicorum animos allicere debet, utpote qui clarissimam universae putredinis dissolutionisque effigiem exprimens per omnes terras divulgatus fuerit, itaque medium quasi atque supremum inter caeteras locum obtinens hisce proprias, quibus singulae excelluerunt, indoles impertivit. Quodsi, quae tunc perniciosa gentium valetudinem perturbaverint, indagamus, primum in terrae statu et natura multa nobis occurrunt, quae si cum his nostrorum temporum conditionibus comparamus, mirabilitate atque novitate nos valde percellunt. Omnia enim a solito et normali rerum cursu tunc deflexisse magnasque et graves in terra nostra totoque fere mundo mutationes exstitisse, ex iis haud temere ratiocinaberis, quae historici et chronicorum scriptores memoriae tradiderunt (1). Elementorum concitationes vehementissimae, tempestates ferocissimae, vicissitudinum anniversariarum incredibiles fere tumultus per longam annorum seriem continuarunt totiusque generis humani strages ingentes ediderunt. Hiemes blandae, molles alternarunt cum intolerabili frigore, quod exanimarit omne

(1) Cyriacus Spangenberg, cap. 317 — 324 et seq. fol. 368 — 399. Erfurdische Chronik.

vivum; nonnullis annis mensibus Decembri et Januario tempestates cum fragore tonitribusque vehementissimae velut media aestate observatae sunt atque mensibus Februario, Martio et Aprili (1) jam cujusvis generis flores in campis et hortis effloruerunt, aliis contra annis frigus vehementissimum usque vel menses Majum et Junium protractum semina in campis exstinxit, arbores vitesque delevit itaque bonae messis exoptatam spem jam incipiente anno auferens pauperum et divitum animos imminentis inopiae metu valde perturbavit. Aestatum modo tanta ariditas fuit, ut fructus in campis et hortis exarescerent, arborum frondes adurerentur, totae silvae adeo incendio sua sponte inflammatae in cinerem verterentur, nec nisi post hebdomades et multis cum laboribus flammae opprimerentur, modo frigus pertinax tantaque uviditas, ut frequentissimis imbribus rivuli in fluviorum magnitudinem accrescerent, fluvii maribus similes fierent (2); quid? non raro ex nubibus quasi ruptis tanta aquarum moles effunderetur, ut animi superstitione illius aevi imbuti alteram omnium terrarum inundationem metuerent. Ignes fatui, cometae et lumina nocturna a septentrionibus orientia frequentius magnitudine terribili apparuerunt (3); luna defectibus crebrioribus, quam antea unquam aut postea, homines terrore percussit et solis ipsius plures eclipses cito se excipiebant. Quae res omnes quomodocunque a temporum illorum scriptoribus,

---

(1) Hecker, Engl. Schweiss. p. 92.

(2) Hecker, Engl. Schw. p. 10. 11. Aqua magna ducis de Buckingham. p. 80, 90, 92, 93, Aquae magnae St. Viti. Rousseus. Ep. V. p. 297.

(3) Hecker, Engl. Schw. p. 12. p. 91. 27. 47.

qui superstitione et miraculorum fide penitus irretiti erant, explicatae sint, elementa vehementer tunc fuisse percussa naturaeque cursum normalem valde perturbatum fuisse, ostendunt. Per annorum seriem longam illorum praecipua atque praevalens fuit qualitas frigida et humida.

Proximum detrimentum ex hisce calamitatibus frumenta ceperunt, unde factum est, ut saeculo illo XV, neque minus XVI. homines multo saepius, quam alio tempore omni earum rerum, quibus viverent, inopia vehementer premerentur (1). Reminiscamur modo annorum 1433. 38. 60. 62. 68. 72. 74. 77. 78. 80. 81. 83. ne latius hanc seriem extendam; quantum ad fastigium hisce annis evectae sunt fames et penuria! Inter greges (2) tali rerum statu lues quam vehementissimas et perniciosissimas irrupisse, quid mirum? cum pabulum, quo alerentur, aut porrigi omnino iis non posset, aut humore continuo corruptum et depravatum esset. Homines ita non solum parte ad valetudinem bonam idonea alimentorum privati fuerunt, verum aliter etiam ex luibus hisce pecuariis multum detrimenti ceperunt: aëris enim qualitas, per se jam ex annorum maligna constitutione prava bonaeque valetudini contraria, valde insuper exangebatur evaporationibus foetidis et putridis, evolutis ex cadaveribus pecudum et gregum, quae fame aut luibus perierant, itaque pestilentiarum vehementiorum semina ubique diffusa sunt. Morborum perniciosissimorum immensa copia Europae singulas terras quotannis fere invasit (3),

(1) Hecker, Engl. Schw. p. 12. 13. 40. 47. 81 — 89.

(2) Hecker, Engl. Schw. p. 35.

(3) Hecker, Engl. Schw. p. 12. 25. 29. 34—35. 40. 47. 56—71. 82 - 85.

qui, etsi medici et historici communi pestis malignae nomine parum accurate eos complexi sunt, tamen maximam partem putridam naturam evidentissime ostenderunt. Annis 1427. 38. 39. 50. 52. 62. 72. 73. 73. 74. 81. 84. 85. mors totos pagos et oppida devastavit et maximam incolarum partem in sepulchra hiantia praecipitavit, imo quibusdam annis ad tantam vim et furorem tam perniciosum exauctam fuisse hanc caedem historici tradiderunt, ut in nonnullis terris et provinciis vix tot hominum vita servata fuerit (1), quot opus erant, ut corpora fratrum pestilentiis enecatorum sepelirent. Quum coemeteria defunctis confertim essent repleta (2), ut nullum amplius recipere possent, aut in fossas murales corpora putrescentia conjiciebantur, aut magnae foveae modo intra ipsos muros modo extra eos fodiebantur, in quorum singulis centena funera cumulabantur, non nisi parca terra obiter tecta; alibi corpora defunctorum aggregata ab iis, qui fatis superstites fuerant, in fluvios praeterfluentes conjiciebantur, qui novarum pestium semina ex terris aliis ad alias deferebant. Totae inde regiones exhalationibus pestiferis et virulentis corporum putrescentium implebantur et si hisce omnibus jam satis magnam causarum copiam contentam fuisse intelligimus, quae perturbare functiones vitales, labefactare tum viventium organismos et ad universam aegrotationem proclives reddere debebant, multo etiam magis victus rationes, vitae genus et consuetudines malas, rerum civilium et familiarium institutiones pravas, quas habebant illis saeculis

(1) Hecker, Engl. Schweiss. p. 85. 87. anno 1462. Spgbg. C. 336. f. 393 — 97. Erfurdische Chronik.

(2) Anno 1468. Cyr. Spgbrg. 336. 393. a. 1484. Sp. 341. 397.

gentes, corpora prona reddidisse ad pravam illam, ex qua scorbutus prodiit, conditionem et naturam videmus.

Urbes tunc nondum excelluerunt (1) munditia et elegantia ea, quam inde a saeculis XVII. et XVIII obtinuerunt et quae usque ad hodiernum tempus magis magisque per Europae terras medias et occidentales invaluerunt: multae, in Germania praecipue terrisque vicinis ad septentrionem sitis, undique paludibus continebantur, ad quas exsiccandas, purgandas, agriculturae adaptandas accolarum animi nondum attenti erant; materiem, qua utebantur homines ad aedificandum, tam male praeparabant, ut nulli fere anni tempori aptum domicilium haberent. Limus et lutum in fossis, quae urbes cingebant, accumulabantur, neque unquam isti squalores auferebantur (2). Vestimenta nimis densa et calida gentes non sub frigidioribus solum Zonis, verum etiam sub calidioribus habebant, quorum picturas et descriptiones multis libris nobis traditas contemplantes ab admiratione nobis temperare non possumus, quomodo quis tunicis istis laneis et pelliceis aestate hiemeque vestitus, lacernisque involutus (3) corporis firmitatem atque fibrarum elasticitatem incolumem servare potuerit. Cubilia huic vestimentorum generi recte respondebant, multis pulvinis ad immensam altitudinem strata (4). Ad quam insaniam accesserunt balnea tepida et calida (5), quorum

(1) Hecker, Schwarzer Tod p. 12. Engl. Schweiss. p. 23.

(2) Hecker, Engl. Schw. p. 51—165. Johann Schröter Einleitung.

(3) Hecker, Engl. Schweiss p. 50.

(4) Id. Engl. Schweiss p. 126 et seq.

(5) Id. Engl. Schweiss p. 50. Sal. Albert Hettenbach 16. 546. Reusner Exercit. p. 32—35.

usus non solum apud ditiores et locupletiores, verum etiam apud inferiores civium ordines fuit fere quotidianus. Balneorum vis salubris exangeri etiam putabatur venaesectionibus, per certa temporis spatia institutis (1), imo usque eo processerunt hae perversitates, ut in tonsorum tabernis propriis tabulis ii dies designarentur, quibus venas secare aut cucurbitulas applicare in lavando praecipue utile esse ex astrorum cursu constitutum erat (2). Pauci tantum eorum, qui medicinam tunc factitabant, harum consuetudinum perversitatem recte cognoverunt; maximus contra medicorum numerus iisdem, quam vulgus, erroribus tenebatur, itaque exemplo pessimo, quod curandis aegris obtulerunt, eo altius vulgum in eos immerserunt. Nunquam methodus diaphoretica, remedia purgantia vehementissima et sanguinis detractiones in medicina tantam auctoritatem habuerunt, quam illis temporibus; nullum facile morbum nominare possis, in cujus curatione medici uno aut altero eorum usque fere ad insaniam tunc usi non fuerint. Sudoris anglici historia magis quam aliorum morborum, quantum aegri ex tali artis nostrae statu detrimenti ceperint, ostendit, quum multa certe millia magis ex diaphoresi nimia, lege artis provocata, quam ex morbi ipsius malignitate diem supremum tunc obirent (3).

Ciborum non minus pravam et insalubrem qualita-

---

(1) Olaus magnus Lib. XV. cap. XXV. XXVI. p. 527. 528.

(2) Die sogenannten Lasstafeln. Hecker Eng. Schw. p. 135. Schellig apud Hensler p. 8. Reusner Exercit. p. 38. 39. ibid. Exercitat. I. p. 60.

(3) Hecker Gesch. Aphor. 7. p. 609. ejsd. Engl. Schweiss p. 114, 125.

tem (1), quam intemperantiam damnum attulisse quam maximum, reperimus. Dum utilia, quibus viverent, alimenta annonae caritate aliquot per annos totarum regionum terrarumque incolis subducebantur, ita ut saepe frumento corrupto et pulvere, vermibus aliisque rebus immixtis conspurcato, quod per longum tempus in granariis reservatum fuerat, quivis civium ordo vesci cogeretur, aliorum annorum messes uberiores ad convivia et helnationes divites atque pauperes pellexerunt (2). Vinorum fervidorum, cerevisiarum fortium (3) male plerumque paratarum potus ad ebrietatem usque diligebatur neque ceterae gentes contemnebant ejusmodi fera rudiaque oblectamenta, quamvis ante omnes Germani illa consuetudine excellebant adeoque coaevis ob compotationes et comessationes, quibus justo largius indulgebant, infames erant (4). Noctes usque ad lucem orientem consumebantur in tabernis aut compotationibus aut venere, et ex mensis lusoriis flagitia turpissima et foedissima propullularunt. Cujusvis generis vitiis et libidinibus vulgi animus inficiebatur humanitatisque melioris omne fere vestigium exstinguebatur. Domesticarum rerum cura negligebatur, luxuria contra et intemperantia (5) ad tale fastigium evehebatur, ut nonnulli principes boni, qui in

---

(1) Sennert p 53. et seq. Ronsseus cap. V. p. 250—271. Echthius p. 309. Wier p. 318. Sal. Albert. 48—50. —54. 372—378. 128. 398. Sal. Alb. Hettenbach 14. 545. Mart. 14. 582. 583. Charl. cap. III. art. 5. 39. etc. etc.

(2) Sal. Albert. n. 49. p. 372. 3) Sennert 56. et seq. Ronsseus cap. XI. 271. Reusner Exercitat. III. p. 149. Gregor. Horstius spec. scorb. cap. V. Albert Epistola dedic.

(4) Sal. Alb. n. 50. p. 372. Mart. 16. 583. 84. Hecker, Engl. Schweiss p. 10. (5) Heck. Egl. Schw. p. 48. 49. 181.

vita tam libidinosa tantaque effrenatione morum civium suorum perniciem totiusque reipublicae perturbationem et exitium imminere viderunt, legibus eam coercere et justis finibus cohibere studerent (1). Attamen longius jam processerat corruptio morum totiusque aevi licentia atque dissolutio, quam quae talibus edictis omni auctoritate destitutis cohiberi potuisset (2). Revocemus praeterea in memoriam bella, quae tunc inter singulos Europae dynastes saepissime exarserunt, discordias inter civium ordines singulos (3), civitatum quarundam tumultus internos (4), equitum latrocinia, militum mercenariorum libidines et turpissima flagitia (5), atque haec omnia imaginem illius saeculi XV. et subsequentium nobis depingunt, qua clariorem vix desiderabimus.

Jam vero haec omnia uno intuitu complectentes, vehementissimos tunc omnium rerum motus accidisse multasque, praecipue in victus genere, in moribus, consuetudinibus, ut paucis dicam, in gentium illarum statu universo fuisse causas, certe intelligimus, quae functiones vitales labefactare valetudinemque bonam funditus evertere debuerunt.

---

(1) Polizeiordnung der Grafen zu Mannsfeld. Cyr. Spangbr. anno 1512. cap. 349. fol. 405.

(2) Sebast. Brant. Elog. ad Joann. Reuchlin Hensl. p. 15. Weyer's Vorrede des Buches der unbekannten Krankheiten. Vorrede an den grofsgünstigen Leser.

(3) Hecker Engl. Schw. p. 117—123.

(4) ibid. p. 42.

(5) Casp. Horn. Spec. Scorb. cap. IV. Hecker Engl. Schw. p. 20—23. Weyer Buch von den unbekannten Krkhten. Vorbericht an den grofsgünstigen Leser »das viehische unzüchtige Kriegsvolk.«

Prae ceteris ciborum insalubritas (1) modusque eorum parandorum et coquendorum pravus, summa in esca et potu intemperantia, vinorum aut fervidorum aut acidorum cerevisiarumque fortium abusus, aquarum natura, immixtis plantarum et animalculorum putrescentium partibus, putrida organa, quae inserviunt concoctioni atque chylificationi, vehementer offendere, itaque proba et legitima digestione et concoctione impedita succos omnes, primum chylum, deinceps sanguinem quoque, depravare et ad dissolutionem putredinemque proclives reddere debebant. Balneorum calidorum usus quam frequentissimus (2), pulvinorum neque minus vestimentorum numerus justo major cutem debilitavit, relaxavit totumque corpus enervavit (3); sanguinem detractionibus, quae temere et justo frequentius instituebantur, solvi et putredini tradi oportuit. Nonne accesserunt ad augenda haec mala domiciliorum humiditas, urbium illuvies et lutum, fossarum muralium exhalationes putridae et foetidae (4); nonne corpora ita propensa reddi debebant ad aegrotationem universalem et ad putredinem quidem in specie? Reputemus praeter haec vicissitudines anniversarias a normali cursu decedentes. Ex aliorum annorum humiditate praevalente (5) cum frigore quam vehementissimo, aliorum contra ariditate et siccitate summa, praecipue vero ex eo, qui tunc saepe accidit, ex contraria qualitate ad contrariam transitu subitaneo et insolito magnae ae-

---

(1) Hecker Gesch. p. 153. typhus famelicus.
(2) Reusner exercit. I. p. 34. et seq.
(3) Hecker Engl. Schw. p. 50.
(4) ibid. p. 51. 165.
(5) Hecker Gesch. p. 611. Aphor. 22.

grotandi causae in gentes haud dubie redundarunt. Phaenomena apparentia in aëre singularia, lumina saepius in coelo observata, aliaque ejusmodi prodigiosa et insolita, quascunque eorum explicationes aevi illius religio prodigiosa dederit, id satis aperte ostendunt, materie quadam aliena atque certe nociva aërem tunc valde impletum electricitatemque ejus normalem mutatam fuisse (1). Pulmones vero et cutis, quorum functiones praeprimis ab aëris natura pendent, primum atque praecipuum inde tulerunt detrimentum, cutis debita perspiratione suppressa, materia inutilis ad sustentandam vitam, nedum valetudinem bonam, in corporibus retinebatur, neque minus adeo nova putridarum particularum copia, quae in aëre suspensae erant, per pulmones in sanguinis circuitum recipiebatur (2). Dispositio igitur ad putredinem, vitae victusque ratione, praeprimis pravis illis consuetudinibus inducta, hacce aëris maligna natura valde adaucta est; quae corporum natura prava plus minus longum tempus gentes jam tenuerat, etiamsi non tam certis, tam exquisitis speciebus morbosis sese promeret, quum, quo propius finis immineret saeculi XV, eo graviores majoresque calamitates vehementia pertinaciore, quam antea, in omnes terras irruerent (3).

Anno 1483 cujusvis rei inopia annonaeque caritas multas Germaniae regiones invasit, neque aliis certe terris pepercit, postquam messes annorum, qui proxime antecesserant, omnino fere perditae erant, aquarum im-

(1) Hecker Gesch. p. 150. 151. ibid. p. 611. aph. 22.
(2) Hecker Engl. Schw. p. 12. 36. 37. 91. 94. 105.
(3) Ibib. p. 173. „Es war ein Jahrhundert fauliger bösarti ger Verderbnifs.“

mensa copia omnes terras inundavit, annisque 1484 et 1485 mors pestilentialis hominum innumera millia enecavit, urbes magnas devastavit multasque regiones depopulata est (1); quibus temporum angustiis si alios tumultus, quibus civitates percutiebantur gentiumque animi quam vehementissime commovebantur, addimus, ad summum certe fastigium gentium miserias evectas fuisse fatebimur. Quid igitur mirum, quid insolitum, quod tali rerum statu, in perturbatione tam universa uno eodemque fere tempore in omnibus terris novae pestes exarserint, quae medicos formis, quas ostenderunt, teterrimis neque unquam antea aut visis aut cognitis, aequo stupore ac vulgum summa pernicie, quam secum tulerunt, vehementissimis terroribus perculerunt (2). Sudor anglicus in Anglia, Scorbutus in Germania, typhus petechialis in Hispania, lues venerea in Italia, iisdem fere annis irrumpentes, non minus eo, quod eadem aetate diversissimis in locis gentes occuparunt, quam symptomatibus atque pertinacia summa solis luce fere clarius intimum, quo inter se jungebantur, vinculum jam tunc ostenderunt.

Scorbutus primum in Germaniae regionibus mediis, ubi plurimae illarum calamitatum, quas modo obiter explicare studui, in unam quasi congeriem confluxerant,

---

(1) Cyr. Spangenberg cap. 340 — 342. fol. 397 — 398. Erfurdische Chronica.

(2) Hecker Gesch. p. 608. aphor. 4. „In allen Volkskrankheiten ist die ausgebildete Krankheit nur die höchste Stufe des Erkrankens und wird nur durch Gelegenheitsursachen aus der allgemeinen Lebensstimmung hervorgerufen, welche sich in der Gesammtheit durch die allgemeinen Einflüsse entwickelt hat."

anno 1486 tanquam morbus epidemicus exstitit (1), unde mox latius progrediens in septentrionalibus ad marium littora adjacentibus terris sedes sibi fixas elegit. Non deerunt forte etiamnunc, qui negantes, tunc primum exstitisse scorbutum, suffragentur eorum sententiae, qui primum de hoc morbo accuratius scripserunt et jam dudum ante saeculum illud, jam veteribus in medica arte heroibus cognitam atque bene perspectam hanc aegrotationem fuisse, contendant. Pietas quidem atque religio, quae fuit Hippocratis, Galeni, Avicennae caeterorumque illustrium antiquitatis medicorum, apud mediae aetatis et saeculorum subsequentium medicos controversias graves et vehementes hac de re concitavit atque in libris, qui hac de materie prostant, multum pro et contra scorbutum, tanquam morbum jam veteribus medicis cognitum atque bene perspectum, dicta sunt. Alii alio nomine apud veteres hanc aegrotationem notari putaverunt (2) et quamquam veri aliquid hisce opinionibus inesse atque fieri potuisse jam antea, ut syndrome calamitatum similium eadem symptomata provocata sint idemque morbus constitutus, quam qui fuit saeculi XV. scorbutus, certe concedimus, tamen tanquam universalem gentium pestem tunc primum exstitisse eum, largiri debemus. Natura ipsa hujus rei veritatem primordio, quod habuit scorbutus illo saeculo XV. atque decursu, quem

---

(3) Cyr. Spgbg. cap. 342. fol. 399. „Es hat sich vmb diese zeit zum ersten mal in diesen Landen die schedliche Seuche der Scharbock genannt erzenget vnd sind viel Leute damit behaftet worden.

(2) Casp. Horn, Georg. Horstius, Sennert, Balth. Brunner, Möllenbroccius, Bald. Ronsseus, Echthius, Langius, Rousseus ad Cornelium Heydium etc. etc.

ostendit per saecula posteriora, clariorem oculis nostris patefecit, quam cui opiniones vanas opponere possimus.

Pro ea, quae saeculo illo et temporibus proxime subsecutis sicuti litterarum artiumque omnium, ita nostrae quoque disciplinae, contemtio atque neglectio fuit, mirum videri non debet, primos de scorbuto nuntios non medicos, sed chronicorum scriptores prodidisse, nam praeter historicos quosdam usque ad alteram saeculi XVI partem nemo ejus mentionem fecit nisi Olaus Magnus Archiepiscopus Upsalensis; neque tamen morbi ipsius levitati et exilitati id imputare oportet, quo enim modo, si res ita se habuisset, Olaus in historia, quam edidit de gentibus septentrionalibus, scorbutum tanquam morbum iis gentibus, praecipue vero Danis, Batavis et quicunque in marium illorum vicinitate habitarunt, jam diu communem et endemicum valdeque cognitum nominasset, ejusque symptomata paucis et levibus verbis adumbrare necessarium duxisset (1). Eodem fere tempore Echthius primus fuit medicus (2), qui accuratiorem hujus morbi descriptionem dedit atque mox tantus eum in tractanda hac materie medicorum numerus secutus est (3), ut jam haec una res abunde demonstret, quantae tunc fuerit auctoritatis et malignitatis haec dyscrasia, etiamsi nondum perlegimus ea ipsa, quae nobis ab hisce tradita sunt. Quotquot vero auctores scripserunt de scorbuto, alii alias illarum, quas modo explicare studui, causarum attulerunt, itaque morborum scorbuticorum systema alii aliud posuerunt: ex corporum ipsorum

(1) Olaus Magnus lib. XVI. cap. LI. p. 570.

(2) Lind. III. Th. II. Cap. Joan. Echthii epitome.

(1) Lind. III. Th cap. II. p. 460 sqq.

maligna quadam indole alii, alii contra ex pernicioso rerum externarum influxu ejus originem deduxerunt ejusque naturam modo in chemica modo in physica aut quavis alia corruptela posuerunt pro iis, quae valebant in arte medica, sententiae praecipuae. Opiniones diversissimae, inter quas multae leves atque omnino vanae, propositae sunt, et si nonnulli scriptores propius ad sententiam accesserint, quae vero consentanea videtur, tamen nemo ex propria illorum temporum natura, ex propriis istis gentium conditionibus universalibus, ex tota illarum calamitatum, quae tunc concurrerant, syndrome prodiisse scorbutum, pronuntiavit; quicunque accuratius elaboraverunt in hac materie perlustranda ab Echthio usque ad eos, qui nuperrimis diebus scripserunt hac de re, scorbutum velut singularium hominum morbum tractaverunt, non commemorantes quanti is fuerit momenti, tanquam saeculorum illorum gentiumque earum morbus communis et dyscrasia universalis. Hecker solus nuperrime medicorum animos ad hanc opinionem advertit brevibus quidem verbis et paucis, sed gravissimis et naturae rerum quam maxime consentaneis (1).

Germaniae, qua in terra primum scorbutus tanquam novus et peculiaris morbus exstiterat, inferiores praecipue partes ad oras maritimas sitas ei obnoxias fuisse, scriptores tradiderunt; oppida in locis paludosis lutulentis condita, ubi aquarum aërisque natura prae ceteris

---

(2) Beide Krankheiten, der Petechialtyphus und Scorbut, können als unzweideutige Ergebnisse einer typhösen Lebensstimmung betrachtet werden, die sich durch das ganze sechszehnte, siebenzehnte und den gröfsten Theil des achtzehnten Jahrhunderts hindurchzieht. Hecker Gesch. p. 610. Aph. 13.

fuit prava et corrupta (1), inprimis hoc morbo vexabantur atque civium ordines inferiores majorem semper numerum scorbuticorum obtulerunt, quamvis ditiores quoque nequaquam ab eo fuerint tuta. Ante bellum per triginta annos gestum in Germania superiore omnino fere inopinatum atque incognitum fuit hoc malum morbique alii diversis nominibus ab autoribus notati ejus locum ibi explere videbantur, quum scorbuticae seu putridae corruptionis signa apertissima prae se ferrent; tunc primum scorbutus verus ipse Norimbergae et mox in hujus urbis vicinia tanquam epidemicus morbus emersit (2). Attamen nunquam in superioribus Germaniae partibus tantam ostendit saevitiam tantamque pertinaciam, quam in inferioribus (3). Arthritis sic dicta scorbutica valde communis fuit Saxoniae, ab aliis Germaniae gentibus alia acceperunt nomina (4) similes aegrotationes et fere omnino eaedem (5). Septimo decimo saeculo certe summum hac in terra attigerat scorbutus fastigium, postea sensim sensimque decrevit et recessit ex ea, quamvis claudicante pede (6).

Sicuti vero Germaniae, ita Bataviae quoque, Frisiae, Daniae terrisque vicinis haec pestis fuit quam maxime

---

(1) Sennert p, 16. 58 etc. Sal. Albertus 60. 376, 63. 376. 377. 140. 402. Wierus 312. Mart. 11. 580. 581. etc.

(2) Specul. Scorbut. Casp. Horn. Röthenbeck. Greg. Horst.

(3) Specul. Scorbut. Casp. Horn. cap V. p. 47.

(4) Möllenbrocc. Dedicatio. Drawitz p. 1—71. Hecker Gesch. p. 611. aph. 20.

(5) Weyers Buch von den unbekannten Krankheiten, p. 524. et seq. Sal. Albertus n. 29 p 364.

(6) Sennert epistol. dedicatoria p. 14. Alb. epistol. dedicat. Drawitz Vorbericht an den Leser.

infesta et cognita et quamquam Bald. Rousseus (1) anno 1538 hanc dyscrasiam primum in hisce locis observatam fuisse dixerit, antea vero iis fuisse omnino incognitam, certe tamen multos jam per annos ibi grassata est, quum terrarum illarum natura ciborumque, quibus incolae fruebantur, genere quam maxime eos ad putredinem opportunos reddi oporteret (2). Ibi quoque in iis regionibus praesertim sedes sibi elegit dyscrasia, quarum natura quam maxime fuit humida. Qui Alcmariam et Amstelodamum et vicina loca inhabitabant, multo periculosius et frequentius scelotyrbe afficiebantur (3), quam qui aut Gaudam aut Rotterodamum incoluerunt; ex annorum iniquitate majori ad vim majorem semper exauctus est scorbutus (4) hiemesque frigidissimas (5) vehementissimae ejus accessiones sequi solebant. Iis, quibus Eugalenus vixit atque scripsit, temporibus terris illis hic morbus tam communis et familiaris fuit, ut hic „nullum,“ diceret, „fere morbum sibi in iis regionibus occurrere scelotyrbe frequentiorem, quique magis fallaci sua specie, qua alios mentiretur morbos, medicis imponeret“ (6).

---

(1) Bald. Ronsseus cap. II. 236.

(2) Reusner. Exerc. IV. p. 156. Lind. Th. II. c. I. p. 139. Bald. Ronss. V. 350. Reusner Exercit. III. p. 156. 157. Rons. Epist. V, p. 297. 298. Reusner Exercit. IV. p. 148 et seq. etc. etc.

(3) Reusner, Exercit. IV. p. 156. Sennert p. 58, Lind. Th. III. cap. I. 1595. Petr. Forest. Ronss. Epist. Dedicator.

(4) Lind. Th. III. cap. II. Bald. Ronsseus.

(5) Casp. Horn. cap. IV. p. 32. Sennert p. 17. Forest Lib. II. ob. 12. Bald. Rouss. c. II. 236. Lind. Th. II. cap. I. 139. (6) Eugalen. Proloquium 2.

Germaniae, Daniae, Bataviae aliarumque terrarum situs atque natura, incolarum vivendi genus et similes ejusmodi conditiones, praecipue scorbuto favebant, qua de re plurimas de hujus morbi invasionibus aut epidemicis aut endemicis relationes harum terrarum scriptores memoriae prodiderunt; attamen ceterae quoque Europae regiones dyscrasiae illius vestigia, quamvis aut aliis formis aut minus exquisita, per omnia ista saecula praebuerunt. Ita in Anglia (1), Francogallia (2) atque Italia (3) adeo scorbutus diversis temporibus, modo majori modo minori cum vehementia, viguit et certe nuntios de eo multo plures ex hisce terris scriptores aut medici nobis tradidissent, nisi ejus symptomata propria harum terrarum natura plus minus mutata fuissent, morbusque ipse non raro aliis esset occultatus. Ita, ut hoc unum afferam, in Anglia furor vehementissimus, quo sudor ille anglicus quinque epidemiis vulgi et medicorum animos totos in se convertit terroreque summo percussit, per integrum fere saeculum scorbuti, tanquam aegrotationis chronicae atque levioris, quae minus rapide aegros enecaret, miserias occultavit; post quintam enim atque ultimam illius pestis epidemiam scorbuti vestigia in hac terra clariora reddita sunt medicorumque attentionem magis excitarunt. In Italia, Francogallia atque Hispania, quae in Europa maxime ad Orientem et Meridiem sitae sunt, constitutio putrida simili modo alia

---

1) Charleton cap. II. art. 2 15. Krebel Einleitung p. 5. Lind. Th. III. Cap. II. 1683. L, Chameau. idem Th. II. cap. IV. p. 207.

2) Lind. Th. II. cap. VII. 390.

3) Lind. Th. III. cap. II. 1761. Joan' a Bona Veronensis.

et quidem acutissima forma, typho nempe petechiali, sese plerumque patefecit, quamvis ibi quoque aegrotationes chronicae sub scorbuti forma non deerant.

Frequentissime vero in navibus (1) scorbuti vis multas magnasque hominum strages ab tempore illo, quo primum quasi morbus universalis prodiit in lucem, ad nostra usque tempora effecit. Quum uno eodemque fere tempore navigationes magis florere cum scorbuto in gentes irrumpente coeperint, mirari haud debemus pro iis, quae tunc fuerunt, navigationum institutionibus imperfectis plurimos in quovis itinere homines morbis vehementioribus correptos esse, praecipue si hodie quoque, postquam saeculorum quatuor fere experientia tot tantaeque in navigando cujusvis generis emendationes introductae sint, aegrotationes nequaquam leves in talibus itineribus prorumpere videmus. Quid repetam exempla illa numerosa, quae Lind nobis prodidit, scorbuti tanquam morbi navalis? Omnium gentium naves plus minus detrimenti ex eo passae sunt, maximum vero semper eae, quae aut longiora itinera suscipiebant, aut sub Zonis frigidioribus navigabant (3). Id vero sufficiat afferre ex omnibus illis, quae Lind nobis tradidit, hisce proximis saeculis in navibus quoque scorbutum ad mitiores decrevisse formas multumque prioris saevitiae atque malignitatis abjecisse.

---

1) Lind. Th. III. cap. I. p. 448. 450. Spec. scorb. Casp. Horn cap. I. Lind. Th. II. cap. IV. p. 269. Sennert p. 56 et seq. Sal. Albertus 129. 398. Mart. 93, 631. Joh Wier p. 486. 487. etc. etc.

2) Lind. Th. III. cap. II.

3) Lind. Th. III. cap. II. 1734. Joh. Fr. Bachstrom. Lind. Th. II. cap. V. p. 330. Krebel p. 72. id. Einleitung p. 5.

Symptomata, quibus sese ostendit scorbutus (1), praecipua semper fuerunt eadem, sive in terra continente, sive in navibus observatus fuerit, neque aliud quid hac ratione commemorandum puto, quam quod ubicunque major calamitatum miseriarumque copia in homines incideret, aut per longius tempus eos premeret, ibi semper graviores et vehementiores hujus dyscrasiae formas observatas esse, sicuti iis in locis, quibus, per totum annum endemius tanquam morbus prae caeteris fuit proprius, aut in longioribus navigationibus, aut in urbibus obsessis, similibusque sub hominum conditionibus miserioribus (2). Accuratius vero per saecula singula et per singulas terras decursum hujus morbi persequi atque singula accuratius perpendere et exponere harum paginarum angustiae non permittunt.

Per integra saecula XVI, XVII et partem XVIII saeculi Europae fuit haec dyscrasia communis, quae quotiescunque tempora erant apta, ad majorem vehementiam pertinaciamque graviorem evehebatur; summum malignitatis fastigium saeculo exeunte XVI atque incipiente XVII attigerat, postea vero magis magisque singulis annis, pristinam malignitatem exuens, ex media atque occidentali Europa usque ad nostrum aevum omnino fere abiit. Quae vero res, quae gentium conditiones prae-

---

(1) Sennert. p. 70 et seq. Mart. 19. 585. id. 20. 585. 586. Echth. 207. Sal. Alb. etc.

(2) Lind. Th. III. cap. II. Frd. van der Mye. Joh. Bachstrom. Abr. Nitzsch. Dodon. Monro. Spec. scorb. Casp. Horn IV. p. 31—36. Röthenbeck cap. 2. p. 37. Krebel Einleitung p. 4. 5. Rons. cap. V. 280. Salm. Albert. etc. Hecker Gesch. p. 609. aphor. 9.

cipue valuerint in diminuenda atque perinde fere exstinguenda hac dyscrasia hisce proximis saeculis, nunc obiter exponere liceat.

Perturbationes quidem illae totius naturae atque tumultus in rerum decursu vehementissimi, quorum maligna vis ad exaugendam conditionem putridam et provocandum scorbutum plurimum valuerat, sensim sensimque desierant omniaque in aëre totaque natura ad tranquillitatem et cursum normalem reverterant: neque tamen, quae ex iis progenita in humanum genus inciderant mala, una cum iis abierunt. Altius scorbutus per gentium vitam radices egerat novaque denuo semper ex prava vitae victusque ratione, ex malis sitis consuetudinibus alimenta percepit, itaque propriam in organismis, si dicere hoc licet, vitam assecutus est, quae non uno ictu atque temporis momento deleri potuit, sed lente, uti emerserat et majorem vim assecuta erat ab una progenie ad alteram, deleri et exstingui longioribus temporis spatiis sensim sensimque debebat (1). Eodem vero modo, quo saeculi illius XV. status scorbutum provocaverat, saeculis posterioribus gentium conditiones cujusvis generis commutatae atque magna ex parte emendatae in diminuenda putrida illa constitutione universa et exstinguendo scorbuto valuerunt (2). Saeculis enim XVI et XVII magnas et graves mutationes accidisse in gentium Europaearum vita et conformatione, argumentis historia probat firmissimis. Europae mediae et occidentales civitates fere omnes pugnis bellisque, quae tunc gesta sunt, vehementer concutiebantur, itaque post lon-

(1) Heck. Gesch. p. 609. aph. 6.
(2) Heck. ibid. aph. 8.

gas et multas miserias et calamitates novam induerunt formam; urbes et civitates singulae institutiones obtinuerunt meliores, quibus civium singulorum possessiones et jura, in tuto collocata, contra aliorum impetus muniebantur (1). Mos bellandi per mercenarios milites, qui saeculo XV. et XVI. per omnes terras communis fuerat, abrogatus est, postquam ea, quae secum duxerat, incommoda fuerant cognita et intellecta et conditis exercitibus stationariis causa certe haud levis aegrotationum et pestilentiarum sublata est (2). Equitum vi et potestate omnino fracta eorumque arcibus maxima a parte dirutis, in urbium munitione multa, quae antea temporum necessitate inducta valetudini civium valde fuerant inimica, ad meliorem et salubriorem modum commutata sunt. Muri urbium subruebantur, fossae, quae eos circumdederunt, terra replebantur (3). Terris novis Hispanorum et Lusitanorum navigationibus detectis nauticae res omnium gentium animos allexerunt; mercatura et industria ad amplitudinem majorem effloruerunt, quae, quum multas et magnas cujusvis rei divitias ad Europam adverterent, itaque ad vitam gentium commodius et amoenius exornandam multum conferrent, singulas quoque Europae civitates magis inter se conciliarunt, commerciis eas conjunxerunt earumque mutuam auxerunt cognitionem, quod quidem arctius civitatum commercium ad mores gentium omnium reddendos meliores et humaniores certe plurimum fecit; aliae enim ab aliis cultum et humanitatem politiorem acceperunt et mox inter

---

(1) Heck. Engl. Schw. p. 20 — 23.
(2) Ibid.
(3) Hecker, Engl. Schw. p. 20, 23.

se elegantia et urbanitate pleraeque certaverunt. Nosocomia in omnibus fere urbibus condebantur, cura pauperum publica magis magisque hisce proximis saeculis florere coepit, postquam principes, quantopere civitatum salus communis ex singulorum civium salute atque valetudine bona pendeat, recte cognoverant. Urbes singulae ad modum non solum elegantiorem, verum etiam salubriorem, quod fere idem est, exornabantur; viae eas conjungentes meliores exstruebantur, postquam magnae silvae prostratae, atque paludes exsiccatae et purgatae fuerant (1). Aliam ita omnes fere terrae naturam induerunt, omniaque propius sensim sensimque accesserunt ad conditiones horum nostrorum temporum meliores et amoeniores. Inventis quibusdam, quae fiebant, inde a saeculo XV. studia ingenua artesque liberaliores et humaniores ad novam vitam excitabantur et posteaquam per totum medium aevum universa fere oblivione obruta, neque omnino nisi a perpaucis tantum culta erant, multorum hominum animis novo ardore tunc imbutis, laetiora incrementa capere coeperunt. Controversiae illae de fide et religione, quae saeculo XVI. ordientes per multos annos omnium Christianorum animos vehementer commoverunt, imo omnes fere Europae gentes et civitates pugnis cruentissimis et bellis pertinacissimis implicuerunt, certe silentio non sunt praetereundae, si de iis, quae cultus et humanitatis Europae commutationem et conformationem tantam et tam manifestam saeculis illis effecerint, cogitamus; obscuris catholicismi tenebris dissipatis, clariorem lucem animis infuderunt et

(1) Hecker, Gesch. p. 609. aph. 8.

per magnas multasque miserias ad felicitatem ampliorem maximam Europae partem traduxerunt.

Haec omnia, quamvis videantur forte latius me a proposito abducere, quum hic de scorbuto disputare susceperim, tamen in hoc morbo recte dijudicando maximi certe momenti sunt; convenerunt enim omnia in eo, ut mores illi priorum saeculorum totiusque aetatis mediae pravi, consuetudines malae, vitae publicae atque privatae institutiones insalubres, quibus putridam constitutionem atque scorbutum, tanquam effigiem ejus manifestam, generi toti humano infectam fuisse supra ostendere studui, magis magisque abolerent et contra ad vitae rationem conditionesque valetudini bonae magis consentaneas et accommodatas gentes accederent.

Vestimenta, quae supra vituperavi, nimis densa et crassa leviora reddita sunt, postquam Francogallorum mores ad caeteras Europae gentes transire coeperant; balneorum calidorum et tepidorum abusus neque minus venaesectionum ad certos dies ex planetarum cursu designatarum institutiones paullatim interierunt, ex quo artis medicae novum et alacrius studium exarserat melioresque ea rationes impetraverat. Tonsorum enim petulantia, postquam fuerat a medicis perspecta, magis magisque refrenabatur; tonstrinae claudebantur et balineorum magno numero everso, vulgus cogebatur quasi, ut abstineret ab illa in lavando et in venaesectionibus insanie, ex qua perniciem tam immensam temporibus prioribus tulerat. Medici redierunt paullatim a diaphoreticis istis remediis, quibus quemcunque fere morbum per tot saecula ad malignitatem saepe majorem incenderant et

justis methodi diaphoreticae finibus constitutis remediorum purgantium quoque abusum refrenarunt.

Thea ex India ad Europam delata, quantilli forte aestimanda videatur haec res, omnes fere civilium societatum conditiones pervertit salubrioresque et humaniores eas reddidit: neque parvum ita habuit momentum in exstinguendis helluationibus et compotationibus istis, quibus tota media aetas et saecula subsequentia immersa fuerant, et in luxuria et intemperantia libidinosa, cui homines per tam longum tempus indulserant, finibus arctioribus coërcenda. Agricultura, postcaquam civitatum institutionibus melioribus singulorum possessiones tutiores redditae erant, magis florere coepit, campi et horti industria laudabiliori colebantur itaque utilium nutrimentorum, quibus homines et greges alerentur, non copia solum, verum etiam salubritas valde exaucta est. Ex quo Franz Drake anno 1580 solani tuberosi tubera ex nova terra ad Angliam traduxerat, gentibus praesidium quam firmissimum datum erat (1) contra clades et pernicies summas, quas saepissime prioribus saeculis ex annorum tempestatibus procellisque et ex ea, quam inde oriri necesse erat, messium corruptione et annonae caritate tulerant. Quodnam enim emolumentum pauperiores et inferiores praecipue civium ordines ex hoc fructu hisce proximis aetatibus perceperint et etiamnunc percipiant, recte judicare omnino non possumus, nisi horum civium statum et conditionem qualis fuerit nuperrimis temporibus, si forte annonae caritas et inopia incidissent, comparemus cum miseriis istis, quae iisdem aut minoribus

(1) Hecker, Gesch. p. 341, 345.

quoque calamitatibus, in singulas regiones irruentibus, provocatae fuerint, antequam fructus ille Europaeis innotuerat. Calamitates tunc semper atrocissimae, lues pecuariae, fames, inopia, morbi et pestilentiae hominum perniciosissimae et quae alia ejusmodi sunt, exarserunt, dum nostris temporibus ex simili annorum iniquitate et messium depravatione nullum fere detrimentum hominibus afferri solet.

Quum vero supra scorbutum saeculo XV, ex annorum iniquitatibus, quae tunc acciderunt saepius et per integrum saeculum XV et saeculi XVI. partem priorem uno fere tenore continuerant, ex terrarum natura prava, ex mala, quae fuit gentium, cujusvis rei conditione, ex domiciliorum humilitate et squalore, ex morum corruptione, ex libidinum intemperantia, ex ciborum et potuum male paratorum abusu similibusque caeteris exortum fuisse ostenderim, nonne rerum naturae consentaneum et concinnum est habendum, commutatis et emendatis saeculorum decursu rebus illis omnibus, itaque recisis sensim sensimque dyscrasiae universalis radicibus, hanc ipsam quoque cum speciebus morbosis, quibus sese manifestarat, magis magisque evanuisse eamque, quam olim ostenderat, vim malignam omnino tandem amisisse (1)? Sicuti vero illae in terrarum natura, in civitatum statu, in civium cujusvis rei conditionibus mutationes et emendationes, quas modo attuli, medias praecipue et occi-

(1) Petechialtyphus und Scorbut sind abgesehen von allgemeinen Lebensstimmungen durch thierische Miasmen, in unreinen Wohnungen, Krankenhäusern und Gefängnissen entstanden oder mindestens erhalten worden. Sie haben zum Theil desshalb aufgehört, weil diese Einflüsse durch einen bessern Culturzustand der Völker beseitigt sind. Hecker Gesch. p. 609. Aph. 12.

dentales Europae partes hucusque attigerunt, in partes vero ad Orientem sitas non pariter dimanarunt (1), ita ex illis quoque potissimum dispositio corporum putrida cumque ea scorbutus, tanquam dyscrasia universalis, ab exeunte saeculo XVII. ad hodiernum usque tempus magis magisque discessit aliique morbi et aegrotationes conditionibus harum terrarum aliis, ac olim fuerant, provocati locum ejus obtinent. Germaniam igitur, Bataviam, Frisiam, Daniam, Angliam, quibus in terris tantam olim fuisse scorbuti malignitatem uno ore tot autores contestati sunt, ab altera saeculi XVIII. parte ab eodem, tanquam morbo universali, liberas omnino videmus, nisi forte passim sporadicus exstiterit; hae enim terrae prae caeteris naturam salubriorem arte industriaque incolarum induerunt civesque earum ipsi cultum humaniorem moresque et meliores et elegantiores acceperunt. Russiae vero regiones plurimae (2) et tota Hungaria (3) etiamnunc vehementer vexantur scorbuto, neque id mirum videri debet, si animo perpendimus, quae sit harum terrarum etiamnunc natura, quae incolarum vitae feritas et rusticitas, quae ciborum, quibus frui cogantur, pravitas et insalubritas, quum agriculturam incolae summa inertia negligant, neque omnino ad industriam satis exsurgere valeant. Quanta Hungariae ruditas, quam miser status revera etiamnunc sit, ex eo satis elucet, quod forte scorbutus tanquam morbus endemius anno 1803

(1) Ibid. p. 610. aph. 12.

(2) Lind Th. II. cap. VI. p. 376. cap. IX. p. 419. et seq. id. Th. III. cap. II. 1734. Damian. Sinopäus. v. Mertens Th. 3. cap. 2. p. 93—105. Krebel Einleit. p. 5. id. p. 76 et seq. Seidlitz. (3) Lind Th. III. cap. II. 1734. Joh. Frid. Bachstrom, id. 1737. Joh. Gregor. Henr. Kramer.

ibi repertus est, et tamen per multas jam progenies ibi summa cum atrocitate viguerat (1); ante annum illum interiores igitur hujus terrae partes omnino certe ignotae fuerant. Libellus, quem medicus Schraud de scorbuto edidit, hac ratione certe magnam auctoritatem habet, quum praesentem et fidam saeculorum illorum XV. XVI. XVII. et scorbuti, qualis tunc fuerit, imaginem nobis praebeat multumque conferat ad confirmandam de scorbuti origine sententiam, quam hisce paginis explicare studui. Quum perlegissem huncce libellum, valde admiratus sum similitudinem terrae illius cum Germaniae, Daniae ceterarumque illarum terrarum natura, qualis ab autoribus priorum saeculorum nobis depicta est, summumque consensum scorbuti, qualis etiamnunc ibi reperitur, cum speciebus illis, quas Echthius, Wierus, Eugalenus et ceteri litteris descripserunt. Praecipua hac de re repetere hic liceat.

Anno 1803, ut jam commemoravi, forte scorbutus tanquam morbus communis ibi repertus est, quum ad exercitum Imperatoris supplendum dux quidam ad interiores hujus terrae partes profectus esset. Medici (2), ad inquirendum accuratius id malum missi, ea, quibus semper, ubi viguerat, sese ostenderat scorbutus, symptomata cognoverunt: faciem tumidam, flaccidam; gingivas corruptas, laxas, sanguinem putridum, dissolutum effundentes; foetorem et sanguinis saliva corrosiva commixti fluxum ex ore; dentes labefactos, elapsuros; mandibularum motum impeditum; dolores, quorum vehementia die noctuque eadem erat, extremitatum superiorum, humc-

(1) Schraud. p. 7.
(2) Schraud. p. 8. et seq.

rorum, colli musculorum; depressionem animi, tristitiam, morositatem; lassitudinem atque totius corporis imbecillitatem; maculas lividas, forma et magnitudine varias, tumores extremitatum superficiales, ulcera superficialia, passim febrem sine typo certo. Mortuorum indices Januario et Februario (1) mensibus mortalitatem maximam semper fuisse ostenderunt, praecipuas vero ex hac dyscrasia clades eae regiones tulerunt, quae humiles, ad fluvios sitae (2), terrae naturam uliginosam, paludosam, humidam habuerunt. Germani (3), qui habitabant in illa terra, plerumque tuti erant, quia vita victusque genere magis apto bonae valetudini utuntur, cibos meliori modo paratos et coctos assumunt, potui spirituosorum non indulgentes vita laboriosa et munditia domiciliorum atque corporum prae indigenis excellunt.

Inter causas praecipue hasce nominat Schraud: rusticorum (4) in rebus familiaribus securitatem et negligentiam; de iis, quae proxime futura sunt, omnino non cogitantes otiosam atque pigerrimam vitam degunt, horti omnes inculti jacent, neque campi majori industria colerentur, nisi pars frugum decima possessoribus agrorum tribueretur, itaque hi, ut agricolas incitent ad laborem, admoverentur. Frumenta bene reservari propter aedificiorum aut casarum potius humilitatem et humiditem non possunt, qua de re jam autumno agricolae messes vendere coacti vix, de quo per hiemem possint vivere, retinent itaque haud raro inopia et fame premun-

---

(1) id. p. XII.
(2) id. p. 42. et seq. 61.
(3) id. p. 60.
(4) id. p. 53 et seq.

tur. Vere redeunte grana seminalia a Germanis, qui industriae student laudabiliori, mutuo sumunt, quamobrem hisce perpetuo obstricti tenentur. Praecipuam ciborum, quos assumunt indigenae, partem constituunt triticum turcicum, pisces exsiccati fumigati, carnes suillae, quibus vero carnibus saepe abstinere coguntur, si ex annorum iniquitate et sterilitate pabulum, quo sues nutriantur, non bene provenit; tum pisces exsiccati cum pane male parato omne nutrimentum constituunt. Aedificandi methodus pessima est; plerique et quidem ii praecipue, qui in infimis montium partibus, aut in collibus humilibus et in locis planis habitant, domos ex terra paludosa et argilla humida exstruunt. Hieme (1) domicilia evaporationibus cujusvis generis pessimis abundabant, nam quum lignorum, quibus possint cubicula calefieri, summa penuria incolae premantur, undique lichene aut frondibus aut vestium rudimentis illa obstruunt, itaque puri et salubris aëris accessum omnino impediunt. Atmosphaera igitur, in qua per totam hiemem vivere coguntur, quam maxime corrupta et ad tuendam bonam valetudinem inepta est, neque aestate quidem melior. Spiritus destillatos insuper ad ebrietatem usque viri amant; feminae aquam pessimam, per hiemem nivibus calore solutis plerumque paratam, bibunt totosque saepe dies ex cubiculis non prodeuntes vitam mehercule miserrimam degunt et sicuti aliis aegrotationibus, ita scorbuto quoque prae viris obnoxiae sunt, quum viri in campis apertis magis corpora motionibus exerceant. Abstinentia a cibis inter causas, quae corpora ibi ad hanc dyscrasiam prona reddunt, certe silentio non est praetereunda; ad quam

(1) Schraud. p. 61. et seq.

observandam religione tenentur (1). Ad misericordiam summam hicce Hungariae status nos commovet, quae hoc nostro etiam aevo saeculorum illorum priorum tenebris atque illuvie gravissime opprimitur et per multas posthac generationes tot tantisque miseriis demersa certe manebit; neque tamen a natura terra illa neglecta, sed exornata potius est benignitate multo largiore, quam aliae, quae nihilominus ad felicitatem majorem jam dudum accesserunt. Gentis, quae eam incolit, animorum ingeniorumque ruditas moresque agrestes quam maxime perspicuum nobis argumentum exhibent, quantum semper in corporum valetudine tuenda gentium bona valeat animorum politior cultus atque morum amplior humanitas.

Sed ut redeam ad temporum pristinorum scorbutum, de iis jam pauca afferam verbis, quibuscum aut complicationem iniit, aut in quibus proprie commutandis malignam suam vim plus minus exercuit; ubicunque enim morbi graviores et vehementiores gentes universas corripiunt atque summum obtinent gradum inter caeteras aegrotationes, quae simul existunt, illi cum hisce minoribus et levioribus aliquid de se communicare atque plerumque ad pertinaciam majorem complicatione maligna eas adaugere solent. Quae quidem sententia si cujusvis fere anni experientia plus minus probatur, quam maxime tum certe cognoscitur, cum novae atque insolitae pestes integras gentes petunt. Talis scorbuti quoque ratio fuit, et quicunque medici de eo scripserunt, praecipue exeunte saeculo XVI et incipiente XVII, ubi

(1) Schraud, p. 63. 238 diebus per annum carne vesci vetitum est.

summa ejus malignitas fuerat, in eo omnes consenserunt, cum plerisque morbis aliis hanc dyscrasiam iniisse complicationes eosque semper evexisse ad atrocitatem et saevitiam vehementiorem, ita ut curatio eorum quam difficillima redderetur. Legamus Eugaleni, ut alios omittam, librum, quantum hic medicus memoriae nostrae numerum morborum prodidit, qui propriam ex scorbuti accessione commutationem acceperint! Etsi Lind contendit, hunc alium morbum ante oculos habuisse, quum de eo scriberet, tamen medico huic optime edocto atque erudito non omnino assentiendum putaverim. Eugalenus enim 150 et plures annos ante Lind scripsit et in regione vixit atque medicam artem exercuit, quae ipsis illis temporibus prae ceteris scorbuto fuit obnoxia et ubi summum tunc attigerat fastigium.

De minoribus et simplicioribus aegrotationibus, quae scorbutica corruptione proprie complicatae et commutatae sunt, hic loqui certe non debeo, major eorum numerus esset, quam quos expendere ita possem, ut res postularet; attamen unum ex hisce nominare liceat, morbum puto veterum sic dictum cardiacum, quippe qui ne hanc quidem morborum naturam, quae putredini omnino contraria est, morbosam, phlogisticam nempe et sthenicam, a tali complicatione maligna cum scorbuto liberam et tutam fuisse, aperte ostendat.

Fuit enim hic morbus veterum cardiacus sine dubio pectoris organorum, praeprimis pericardii, affectio inflammatoria, cum scorbuto complicata, aut potius quae sedem habuit in corporibus putrida corruptione penitus vitiatis (1). Per quingentos annos, ab 300 ante usque ad

(1) Hecker Gesch. p. 610. aph. 15.

200 post Chr. natum hicce morbus veteribus fuit vulgaris et communis neque minus vulgo quam medicis bene perspectus, magnum secum ferens periculum multorumque vitam paucis diebus exstinguens (1). Deinde per longa saecula nemo ejus mentionem fecit usque ad nostros dies, quibus Seydlitz, medicus nosocomii navalis Petropolitanis primus, annis 1831—1834 multos eodem illo veterum morbo affectos ibi vidit, morbum ipsum quam accuratissime observavit ejusque descriptionem clarissimam obtulit (2). Pericarditidem exsudatoriam sanguinolentam cum appellavit ejusque symptomata perinde eadem fuisse, ac illius veterum morbi, ostendit. Ex hisce, sicuti ex universa morbi effigie (3), neque minus ex curatione, quam Seydlitz tunc instituit, scorbuticam corruptionem in omnibus aegris adfuisse, clarissime elucet, etsi silentio praeterierit, etiamnunc in Russia, praecipue Petropoli urbe, scorbuticam dyscrasiam valde esse communem (4). Simili vero modo in veteres illas gentes, morbo cardiaco laborantes, satis magnam rerum copiam irruisse, quae eandem fere succorum omnium corruptionem communem et universam provocaverat, quam quae saeculo XV. omnes Europae gentes occupavit, Boyer in dissertatione inaugurali explicavit summoque jure ex hisce causis morbi cardiaci veterum originem deduxit (5), etsi, cur pectoris organa et cor potissimum, scorbutica illa corruptione affecta fuerint, sa-

---

(1) Hecker Engl. Schw. p. 186 et seq.
(2) Seydlitz p. 131.
(3) id. p. 166 et seq.
(4) id. p. 133 et seq.
(5) Boyer p. 21, 22.

tis explicare non potuit. De hac re Seydlitz clariorem lucem nobis attulit; annis enim illis 1831—1834 pectoris organa praecipue in morbos incidisse, neque minus rheumatismos tunc saepius quam alias observatos esse, refert (1). Ita cum mense Februario 1832 epidemia illius passionis cardiacae grassaretur, multae pleuresiae intrabant; a mense Januario usque ad Junium tot aegrotationes pectoris organorum observatae sunt, ut perpetuo 30—50, exeunte Februario adeo 70 ex inflammationibus harum partium in nosocomio laborarent, dum aliis annis summum 10—15 ejusmodi casus in lucem prodierant. Incipiente anno 1833 (2) influenza Petropolin vehementer pervagata est, itaque denuo dispositio illa ad aegrotationes ex pectore emersit; autumno igitur multi rursus passione cardiaca corripiebantur. Ex hisce Seydlitz hoc ratiocinium deducit (3): annorum illorum naturam propriam et qualitatem singularem pectoris organorum inflammationes prae aliis morbis provocasse, hasce vero ex ea, quae etiamnunc plerisque Russorum communis sit, praedispositione et affectione scorbutica malignitatem illam accepisse et cor, utut primum in sanguine regendo organon, quam maxime fuisse affectum. Cui quidem ratiocinationi quid objicere possimus, nescio; quam evidentissime enim huncce scorbuti cum inflammatione illa cordis nexum cognoscimus eo, quod molestiae semper levatae sunt, quotiescunque scorbutus in extremitatibus apparuit, itaque cor opprimente corrupti sanguinis mole liberatum est.

(1) Seydlitz p. 138 et sq.
(2) id. p. 153.
(3) id. p. 137.

Longius adeo progredientes rheumaticam illam pericardii scorbuticam inflammationem designare possimus; si enim comparemus et veterum illum morbum cardiacum et Seydlitzii hanc pericarditidem exsudativam sanguinolentam cum sudore anglico, nonne summus symptomatum consensus, summa et decursus et malignitatis similitudo cognoscitur in hisce tribus pestibus? (1) Intueamur quaeso sudoris anglici decursum rapidissimum, foetorem sudoris ex toto aegrorum corpore large manantem, cujus critica vis refutari certe non potest; perpendamus virium prostrationem maximam, quam effecit hic paucis diebus, quid? paucis adeo horis, revocemus in memoriam, in juvenes potissimum irrupisse id malum et robustiores, qui cibis malis et potibus fervidis immodice obruti prae caeteris vitae libidinosae indulgebant, magis contra pepercisse debilioribus et muliebribus, absentibus magis a vitae victusque intemperantia. Nonne haec omnia in morbo cardiaco quoque et pericarditide sanguinolenta plus minus occurrunt?

Quod majores et graviores aegrotationes attinet, ex quibus scorbuticae corruptionis universae vis quam clarissime elucet, sudor anglicus, typhus petechialis et lues venerea praecipuam medicorum attentionem mereri videntur. Uno eodemque fere cum scorbuto tempore hac pestes Europaeas gentes occuparunt, per longa saecula grassantes cum eodem malignitatem summam obtinuerunt rursusque ab ea recesserunt, earumque origo et natura propria certe medicos lateret, neque omnino recte posset dijudicari, nisi ratio haberetur dyscrasiae illius universa

---

(1) Hecker Engl. Schw. p. 189.

lis, cujus effigiem clarissimam scorbutus semper exhibuit. Hae tres pestes, quae quum primum provenirent in lucem, tamquam omnino novae neque antea cognitae aeque vulgus atque medicos terroribus vehementissimis affecerunt, quam maxime, si accuratius originem earum perscrutemur, veritatem illius sententiae confirmant: Novos gentium morbos nunquam procreari nisi ex elementis, quae jam antea adfuerint, neque omnino eos esse novos, nisi propria complicatione et exacerbatione elementorum, quae jam anteà adfuerant (1).

Sudor anglicus quinque epidemiis intra septuaginta annorum spatium 1485—1551 impetus in Angliam fecit atque semel adeo per Europam universam sese diffudit (2). Febris fuit quam perniciosissima paucis horis aegros crudeliter enecans, magnasque Anglis clades inferens, quae certe non minus ex putrida constitutione universa, quam ex singularibus quibusdam terrae illius conditionibus simul prodierat. Multa enim alia Angli habuerunt communia cum caeteris Europae gentibus neque tamen hae sudori illi aeque obnoxiae fuerunt; certe igitur praecipua quaedam causa terrae illi propria fuit: Ciborum indoles prava, in assumendis iis intemperantia summa, potuum gravium et ardentium abusus, vestimentorum densitas (3), corporum squalor, quamvis balnea tepida (4) valde amarentur, aliaque similia, sicuti in caeteris gentibus, in Anglia quoque multas tunc et ma-

---

(1) Hecker Gesch. p. 612. Aph. 27. Id. Engl. Schw. p. 29.

(2) Weyer Buch von den unbekannten Krankheiten. Hecker Engl. Schw.

(3) id. p 11. id. Gesch. p. 608. aph. 4.

(4) Hecker Engl. Schw. p. 50. 51.

guas corruptionis virium vitalium causas praebuerunt; peculiare vero quiddam ibi nubes perpetuo fere coelum obtegentes constituerunt; nebulae hujus terrae et marium, quibus cincta est, evaporationes humidae cutem incolarum praeprimis dibilitarunt (1). Corpora eorum igitur, undique materie quadam aliena, maligna impleta, ad aegrotationem vehementissimam jam dudum fuerunt opportuna, quum humiditas anni 1485 nimia cum annorum praegressorum qualitate simili incideret (2). Prava igitur succorum et sanguinis mixtio atque cutis summa debilitatio talibus annorum calamitatibus ad febrem illam propriam incendebatur, quae primum in navigatione, quam exercitus ducis Richmond per septem dies in navibus impuris, angustis fecit, inter milites gregarios in lucem prodiit et ab hisce ad castra deportata undique contagium efficacissimum dissipare potuit, quum ubivis corpora valde labefacta peteret (3).

De symptomatibus et decursu morbi ipso nihil afferam; natura ejus fuit sine dubio rheumatica, cum affectione gravi systematis nervosi; ceterae quatuor ejusdem febris epidemiae similibus annorum tempestatibus, quam prima illa, provocatae fuerunt et sicuti quaevis alia ratione cum hac congruerunt, ita semper quoque nexum intimum indicarunt cum corruptione omnium Europae gentium universa. Cum quacunque enim harum epidemiarum caeterarum quoque gentium aegrotationes vehementiores exarserunt (4), itaque per integrum illud sac-

(1) id. p. 10. 164.
(2) id. p. 11. id. Gesch. p. 608. Aph. 4.
(3) Hecker Engl. Schw. p. 14—16.
(4) id. p. 16—20. 27—41. 61—71. 71—85. 172—178.

culum nihil opus erat, nisi ut aptae conditiones inciderent, quae putridam dispositionem ad novam perniciem accenderent, itaque haec variis pro varia terrarum natura et indole speciebus sese manifestaret.

Sudor anglicus vero tamquam febris rheumatica (1) ex putrida hac ipsa qualitate malignitatem et periculum dolosum sine dubio hausit, itaque sicut omnes, qui in Germania scripserunt de scorbuto, hunc, quocumque cum morbo sese complicaverit, ejus naturam in deterius semper commutasse observarunt, pestis haec quoque observationum talium veritatem in luce clarissima posuit. Alio enim quovis tempore, aut si iisdem temporibus Anglicorum corporum constitutio et natura fuisset alia, eaedem res, quae tunc epidemias sudoris Anglici singulas provocarunt, simplicem certe febrem rheumaticam aut influenzam summum graviorem protulissent, quum vero corpora ad putredinem aut quam maxime propensa aut eadem jam penitus infecta peterent, ex conjunctione utriusque elementi morbosi perniciosissima febris composita est (2).

Sudor anglicus ipse, ut supra commemoravi, anno 1551 omnino discessit ex Europa, neque unquam eo revertisse traditur; attamen saeculo sequente in Germania et deinde in Francogallia similis febris rheumaticae species, quae scorbutica complicatione quam perniciosissima reddebatur, multis symptomatibus terrores febris illius anglicae renovare videbatur. Febris nempe miliaris anno 1652 primum in Saxonia exstitit (3). De exanthemate

(1) Hecker Gesch. p. 610. aph. 14.

(2) Hecker Engl. Schw. p. 156—161.

(3) Godofredi Welschii Historia medica novum puer-

miliari s. purpura, tanquam aliorum morborum symptomate pessimi ominis, hic certe cogitandum non est, nam hoc ad antiquitatem extremam indagare possumus. Non solum enim typhum anthracicum, quasi crisis et metastasis, a vetere fortasse jam illa peste Thucydidea, persaepe comitatum est hoc exanthema, sed in typho petechiali quoque, de quo modo loquar, in variolis multisque aliis morbis haud raro in lucem provenit periculum semper ad fastigium summum evehens (1). Non eadem est febris miliaris, tanquam morbi substantivi, ratio, haec enim tunc primum in Saxonia, neque antea unquam observata est. Inde Germaniam totam epidemiis multis pervagata, anno 1715 demum latius dimanavit et Francogalliam praecipue cum terris vicinis infestavit (2); quas in Francogallia concitavit, epidemiae plerumque graviores et vehementiores fuerunt, quam quibus vexavit Germaniam; ibique usque ad haec novissima fere tempora mansit, nihilo mutata nisi nomine; ab altera enim saeculi proxime praeteriti parte in Francogallia Picardici sudoris nomen accepit (3). Quantacunque fuerit inter hanc miliarem febrem et illum sudorem anglicum in symptomatibus atque in decursu similitudo (4), tamen eam sententiam, quam nonnulli proposuerunt, alterum sudorem anglicum (5) hanc fuisse febrem miliarem, non

perarum morbum continens. Disput. d. 20. April 1655. Lips. 4. Hecker Engl. Schw. p. 200.

(1) Hecker Gesch. p. 155, 163. 174, 214. Id. Engl. Schw. p. 200.

(2) Hecker Gesch. p. 178. Engl. Schw. p. 203.

(3) eod. loc. p. 206.

(4) eod. loc. p. 199.

(5) eod. loc. p. 202.

susceperim (1) neque aliud quid hac ratione afferre liceat, quam illum nequaquam fuisse exanthematicum morbum, hanc vero sine dubio eam indolem ostendisse (2). Quomodocunque vero res se habeat, id certum existimari potest, naturam hujus miliaris febris quoque fuisse rheumaticam; non solum dolores isti rheumatici, quibus persaepe morbus incepit, atque cutis efflorescentiae et sudores (3), qui large sicuti in sudore anglico manarunt de toto corpore inter morbi decursum ipsum, verum etiam quibus convalescentes per longum tempus, noctu praecipue vexabantur, ita ut agrypnia saepe tristissima laborarent, id satis aperte ostendunt. Ad quas affectiones si alias adnumeramus, ut lassitudinem et virium prostrationem summam, peturbatam coenaesthesin, capitis affectionem, respirationem difficilem et suspiriis saepius interruptam, potissimum vero caloris intolerabilis, fere mordicantis sensum, foetorem et putorem sudoris, quem largissime cum molestiarum levamine non mediocri, post pustularum eruptione praecipue, ediderunt aegroti, certe putridam indolem denegare huic febri non debemus. Alteram igitur haec febris miliaris nobis praebet imaginem rheumatici et putridi elementi complicationis et si invasiones, quas haec saeculo XVII et XVIII fecit, non eandem pertinaciam eandemque velocitatem ferocissimam, qua irruperant subito et rursus discesserant sudoris anglici epidemiae, ostendunt, non mirandum est, quum saeculum integrum fere intercederet inter utrumque morbum gentesque eo temporis spatio jam magnas multasque mutationes sub-

(1) eod. loc.
(2) eod. loc. p. 199.
(3) eod. loc. p. 207.

iissent. Temporum status jam longe alius fuit in febri miliari et melior quidem, quippe putrida constitutio universalis jamjam a fastigio summo recedere coeperat.

Typhus petechialis brevi postquam in Anglia sudor Anglicus, in Germania Scorbutus exstiterant, primum anno 1490 in Granada et urbe et tota provincia in lucem prodiit (1). Ferdinandus, Hispaniae rex, cui Catholici cognomen erat, ibi contra Sarazenas pugnavit; totum fere ejus exercitum nova pestis delevit, neque minus Sarazenis magnas strages intulit, quomodo vero tunc sese ostenderit, quae symptomata habuerit, ignoramus, neque prius, quam annis 1505 et 1528 in Italiam vehementes saevosque impetus fecerat, quisquam de ea scripsit. Tunc Fracastorius Veronensis (2) medicus symptomata ejus collegit, litterisque anno 1541 editis posteritati imaginem quam clarissimam hujus febris depinxit. Inter causas, quae tunc in Italia novam pestem provocarint, alias fere nullas memoriae prodidit, nisi quae satis validae fuerant, ut in hac quoque terra putredo per universam Europam communis ad summam vim et atrocitatem exaugeretur (3). Hancce igitur putredinem ad constituendam febrem petechialem multum valuisse nemo certe negabit, attamem prima ejus pestis origo atque natura tenebris densissimis occultaretur, nisi symptomata ejus ipsa cum multis, quae in decursu morbi per saecula sequentia observata sunt, propius ad veritatem nos adducerent.

---

(1) Hecker, Engl. Schw. p. 29. id. Geschichte p. 610. Aph. 11.

(2) Hieron. Fracastorii de morb. contag. Lib. II. cap. VI. 155. et seq.

(3) Hieron. Fracastor. cap. VII. p. 160.

Considerantes enim haec symptomata, nonne eundem totius nervosi systematis, inprimis vero cerebri et medullae spinalis, stuporem inter praecipua reperimus, qui typhi anthracici primordium atque signum gravissimum semper constituere solet, ut fractionem in toto corpore lassitudinemque more defatigati cubitum supinum, capitis gravitatem, oculorum rubedinem, sensuum hebetudinem et alienationes, mentis obnebulationem, somnolentiam, deliria et alia similia: (1) nonne igitur typhum petechialem tanquam modificationem illius typhi anthracici summo jure haberi licet? (2) in qua ad praecipua illa symptomata, quae in typho anthracico semper fuerant observata, nova quaedam accesserant, lenticulae nempe seu petechiae illae maculis scorbuticis similes; (3) nonne Fracastorius ipse, qui certe quam accuratissime hanc pestem observavit, jam indicasse hanc opinionem videtur, collocans hanc febrem inter vere pestilentes et non pestilentes? Quae quidem opinio eo vere similior redditur, quod annis 1483. 85. 86. 88. 89. 90 et qui secuti sunt, typhus anthracicus per omnes Europae terras grassatus erat, nec non postea in aliis quoque terris medici observarunt, eum varias commutationes subiisse (4) itaque varias constituisse tanquam novas pestes. Alia quaedam accedunt, quae opinionem illam affirmare videntur, e quibus unum id afferam, quod medicus serotinus memoriae tradidit, in diuturniore febrium petechialium decursu parotidum et subaxillarium glandularum

(1) id cap. VI. p. 158.
(2) Hecker, Engl. Schw. p. 200.
(3) Hièron. Fracast. cap. VI. p. 159.
(4) Hecker, Engl. Schw. p. 29.

suppurationes salutem aegris non raro restituisse. (1) Tamen non minus certe, quam huic typho anthracico, qui annis istis tantopere grassatus fuit, scorbuto, tanquam maxime exquisitae speciei putredinis, tunc universae origo febris petechialis tribuenda est. Una fere cum hoc ex improviso tunc exstitit et meridianas Europae terras prae caeteris occupans ejusdem gentium dyscrasiae putridae speciem quasi acutam praebuit, cujus scorbutus finxit formam chronicam; (2) simul cum hoc per saecula sequentia viguit et ubicunque temporum opportunitas (3) tali exacerbationi favebat, vehementiam semper majorem et vim perniciosiorem induit. Miasmata, animalium aut plantarum corporibus putrescentibus, inprimis si accessit aëris humiditas, terrarum nonnullarum natura paludosa, urbium populatio justum modum excedens, situs earum humilis et aër pravus, vici angusti et lutosi, quorum squalores canalibus numqaam expurgabantur, domorum immunditia et sorditas, aquarum recentium penuria, carceres aut nosocomia repleta, quorum purgatio negligebatur, in pestilentiis intra muros urbium cadavera sepulta, neque satis terra obtecta, carnium esus nimius sine panis, fructuum recentium, vini potuumque aliorum fermentatorum additamento, frumenti diu et male in granariis asservati aut annorum qualitate mala corrupti usus, haecce omnia multaque praeterea similia quam saepissime hunc typhum illis saeculis excitarunt, et ad summum malignitatis fastigium

(1) Hecker, Gesch. p. 611. Aphor. 16. 17. 18. Pringle 3 Th. 7. Cap. 2. Abthl. p. 274 et seq. seq.

(2) Hecker, Rede 1837. p. 11. id. Gesch. p. 610. Aph. 13.

(3) il. p. 609. Aph. 9.

evexerunt. (1) Hisce vero proximis annis ab exeunte saeculo XVIII, postquam gentium vitae victusque rationes, consuetudines, mores, omnino civitatum status externus et internus ad meliorem modum commutatus est, una cum scorbuto magis magisque evanuit febris petechialis, neque unquam nuperrimis temporibus observata est, nisi passim sporadica, si forte major quidam calamitatum numerus in hominum turbas majores irruerit (2).

Jam restat, ut proferam nonnulla de syphilidis seu luis venereae origine prima, de qua inde a temporibus istis ad nuperrimos usque dies multae et graves, non medicorum solum, verum etiam aliorum controversiae concitatae opinionesque diversissimae propositae sunt, quae, quaenam habuerit pestis illa originem, ex quanam aut terra aut gente saeculo exeunte XV primum processerit, enucleare student, quarum vero copia maxima nihil aliud effecisse mihi videtur, quam ut tenebras, quibus a principio haec res occultata et involuta fuerat, densiores reddiderit. In eo omnes et medici et historici consenserunt, exeunte saeculo XV primum in lucem provenisse hunc morbum, neque antea fuisse cognitum. (3) Qui eodem illo tempore, aut brevi post vixerunt, fabulas finxerunt mirificas de hac peste, pro temporum superstitione religioneque perversa; longe plurimi a maligno astrorum influxu, aut a malifica (4) planetarum

---

(1) id. loc. Pringle 3. Th. 7. Cap. 6. Abth. p. 311. seq.

(2) Hecker Gesch. p. 610. Aph. 11.

(3) Astruc. Lib. I. cap. 1. p. 3—4.

(4) Ul. v. Hutten apud Hensler p. 105. Masc. Cum. Hensler p. 11. Petr. Pinct. ibid. p. 42.

constellatione deducendam ejus originem crediderunt; alii hanc, alii illam opinionem proposuerunt, quas Astruc in libro suo de lue venerea, fusius quam meruisset haec res, nobis tradidit (1). Modo incolae insontes terrarum novarum, quas tunc primum Europaei cognoverant, perniciem illam transmisisse in Europam arguebantur (2), itaque Hispanos primum lue affectos, inde in Italiam (3) atque caeteras Europae terras dissipatam fuisse eam, pro comperto habebatur; modo Judaei et Marrani miseri, qui crudelitate summa ab Hispanis et omnibus Christianis vexabantur, morbum novum procreasse omnesque supra terras effudisse credebantur (4). Gens alia culpam hujus criminis a se ad aliam detulit rursusque ab alia suscepit. Francogalli Neapolitanum nominarunt morbum, utpote qui in terris Neapolitanis prima seminia conceperit, Gallicum contra dixerunt in Italia, aliae gentes alio nomine usi sunt. Omnes vero turpedinem et foeditatem ejus quam optime intellexerunt ejusque saevitiam et malignitatem aegerrime et gravissime tulerunt.

Hasce opiniones omnes certis et firmis argumentis carere, itaque refutandas esse, non difficile est intellectu, nam etiamsi numerus earum summus per se non repugnaret veritati singularum, tamen plerarumque insania rationi contradicit; qua de re mirandum sine dubio

---

(1) Astruc. Lib. I. cap. IX. p. 66 sqq

(2) Leonh. Schmauss 1518. ap. Hensler p. 104. Stephan ibid. p. 99. Astruc Lib. I. cap. X. XI—XII. p. 74—94.

(3) Joh. Bapt. Fulgos Hensler p. 96. Reusner Exercit. I. p. 55.

(4) Leo Africanus. Hensler p. 95. Stephan. Hensler p. 99.

est quam maxime, hisce nostris etiam temporibus, quae omnium rerum notitia meliori et cultu majori excellunt, nonnullos persistere in hac aut illa sententiarum illarum, quas pristini autores, qui altius temporum superstitionibus immersi erant, quam qui sanum de hac re judicium ferre possent, ediderant. Tali modo ad clariorem lucem ex tenebris istis saeculorum priorum certe non perveniemus neque veritatem hujus rei indagabimus, quae minime tantopere nos latet, quam ut acriori judicio facile cognoscere eam nequeamus.

Quaenam enim fuerit saeculo XV. morum perturbatio universa, quae depravatio generis humani, quae libidinum tam omnium, quam prae caeteris venerearum licentia, jam supra commemoravi; haec temporum illorum frequentia stuprorum, haec vita libidinosa multum certe contulit ad luem veneream tunc provocandam et per omnes Europae terras diffundendam; neque tamen solam et unicam fuisse causam tantarum miseriarum, inde bene intelligitur, quod veteribus jam morbi maligni et valde perniciosi genitalium, qui orirentur ex amplexu feminarum impurarum, satis fuerunt cogniti (1), neque tamen ante annum 1493 adfuisse luem veneream, ab ullo autore traditum legimus (2). Siquidem supra alias quoque pestes novas eodem ipso tempore, quam syphilidem ex improviso exstitisse in diversissimis Europae regionibus commemoravi, siquidem argumenta vere non levia attuli, quae probant, morbos jam dudum cognitos aut temporum opportunitate tunc praecipue provocatos, ex

(1) Hensler p. 308 — 318 Astruc. Lib. cap. VI. cap. VII. p. 39 — 58

(2) id Lib. I. cap V.

universa gentium constitutione putrida propriam commutationem tulisse, itaque constituisse illas lues novas, siquidem hisce nostris diebus ex simplici pericardii rheumatica inflammatione perniciosissimam illam Seydlitzii pericarditidem eo, quod universa putredo aegrotos penitus occupaverat, constitutam fuisse videmus, siquidem denique cujusvis diei fere experientia praevalentis constitutionis in commutandis proprie singulorum hominum morbis dignitatem confirmat, nonne quam maxime consentaneum est rerum naturae, ex hisce omnibus simile in luis venereae dijudicanda origine ratiocinium deducere? Nonne hanc quoque luem, quae nova tunc exstitit neque cognita fuerat antea, ex elementis deducere debemus, quae jam diu adfuerant et quae tunc ex prava complicatione formam illam aliam et insolitam acceperunt, quae aeque vulgus atque medicos admiratione et terrore affecit? Nonne verisimillimum est, prodiisse morbum Gallicum ex accessione elementi putridi ad pristinas illas genitalium aegrotationes (1)? Ea ipsa res, quod tot sententiae

---

(3) Hecker, Rede 1837 p. 11—13. id. Gesch. p. 612—613 aph. 27—28. Neue Volkskrankheiten entwickeln sich immer aus vorhandenen Elementen und sind überhaupt nur in ihrer Zusammensetzung und der Steigerung vorhandener Elemente neu. Dies gilt selbst von der Lustseuche, die seit 1493 für neu gehalten wurde. Sie entstand aus den längst vorhandenen örtlichen Lustübeln und der im Jahre 1486 hinzugetretenen scorbutischen Lebensstimmung der Volksmassen.

So lange der Scorbut und Petechialtyphus, die Ergebnisse und Beweise dieser Lebensstimmung, herrschend waren, hat sich die Lustseuche in ihrer vollen Bösartigkeit behauptet. Nach dem Erlöschen dieser Lebensstimmung, zu Ende des achtzehnten Jahrhunderts, ist sie zur Bedeutung der ursprünglichen örtlichen Lustübel mehr und mehr herabgesunken. Die Syphilis des neunzehnten

propositae sunt de luis venereae origine, quod alii in alia terra eam primum provenisse in lucem contenderunt, probabilitatem certe non leviter auget; haec omnia enim ostendunt, in omnibus regionibus simul fere exstitisse syphilidem tanquam morbum novum, in omnibus igitur eandem fuisse causam, ex qua prodierit. Hoc vero gentium commune nonne fuit ipsa putrida constitutio, quae plus minus scorbuto sese prodidit, nonne igitur haec sequelas vitae libidinosae ubivis divulgatae eadem specie foeda in lucem proferre debuit? Utrum igitur hanc, an illam terram primum hac lue fuisse infectam sciamus, nihil fert ad explicandam ejus originem ipsam et si coaevi jam hac de re disceptarunt, neque de ea convenire potuerunt, quomodo quis nostris diebus, saeculis quatuor fere integris elapsis, claram de ea lucem nobis effundere possit.

Proxime ad veritatem ex omnibus eorum sententia accedere mihi videtur, qui inter Caroli VIII. milites primum hanc luem exstitisse dicunt; satis validam saltem causam in expeditione illa Caroli sitam fuisse, ut pristina illa mala ad tantam divulgationem et malignitatem incitarentur, negari non debet. Carolus VIII. enim, Gallofrancorum rex, anno 1493, ut opportuno tempore Neapolitano regno, quod sibi vindicavit, potiretur, ad Italiam expeditionis faciendae consilio capto undique copias conduxit; praeter Helvetiorum magnam turbam ex Germania quoque aliisque terris multi, spe praedarum incitati, ad signa ejus confluxerunt. Licentia libidinosa, quae semper in castris et exercitibus plus minus repe-

---

Jahrhunderts ist nicht durch die ärztliche Behandlung, sondern durch den allgemeinen Lebensgang herabgestimmt.

riri solet, in exercitibus illorum temporum fuit quam maxime vulgaris; feminae impudicae milites, quocunque agmina sese verterunt, comitabantur; mirum igitur certe non esset, si genitalium illa mala, quae jam semper provenerant ex tali vita libidinosa et intemperantia dissoluta, tunc etiam, in tanta rerum opportunarum syndrome inter Caroli milites saepius quam alias observata fuisset, et re vera hoc evenit, sed aliam omnino hae aegrotationes, quam antea, speciem ostenderunt totumque corpus lues foedissima corripuit, quae ex genitalibus primordium semper duxit (1). Si perpendimus praeterea, qui tunc fuerit modus bellandi, quomodo conscriberentur ex diversissimis gentibus militum mercenariorum turbae, quae Francogallorum prae caeteris gentibus praecipua fuerit libidinum venerearum intemperantia, expeditionem Caroli satis aptam occasionem praebuisse, intelligimus, ut nova lues non solum provocaretur ex elementis valde communibus, verum etiam post exercitus militumque mercenariorum dimissionem celeriter per omnes terras dissiparetur.

At ne hanc quidem sententiam tam firmam putaverim, de qua dubitari non possit, sed, ut jam supra dixi, talis de terris aut gentibus disceptationes rem nunquam dilucidabunt; etiamsi enim quam certissime compertum esset, hinc aut inde primum provenisse morbum Gallicum, num pariter sciremus, quae sit indoles, quae natura illius morbi? Nonne hac ratione vehementer vituperandi sunt medicorum errores, quod, dum pertinacia omni contendebant inter se de re omnino levissima at-

---

(1) Joseph Grünbeck apud Hensler p. 60 et seq.

que controversiis sese implicabant, ex quibus nunquam victores prodire potuerunt, id quod praecipuum fuit et quod solum syphilidis naturam clariorem reddere valuit, omnino vel neglexerunt, aut non cognoverunt, quamquam id tam clarum, tam perspicuum natura ipsa oculis nostris proposuerit. Nostris modo diebus ex propria veterum malorum genitalium commutatione, quam putredinis universae maligna vi acceperint, prodiisse luem veneream, explicatum (1), itaque pathologia universalis axiomate gravissimo locupletata est; hanc igitur teneamus sententiam, haec pristinam obscuritatem illustrat et natura ipsa veritatem ejus decursu, quem habuit syphilis per integra haecce saecula, tam claram, tam certam constituit, ut, quidquid proponatur ad refutandam eam opinionem, nihil omnino valeat.

Persequentes enim luis venereae historiam a prima origine ad nostrum usque saeculum uno fere eodemque tempore una cum scorbuto et cum typho petechiali, clarissimis putridae constitutionis criteriis, exstitisse (singulorum enim annorum discrimen, ubi de aegrotationibus agitur, quae saecula integra complexae sunt, nihil omnino valet) simul cum pestibus illis per saecula XVI. et XVII perniciositate et malignitate summa viguisse atque inde ad nuperrimos usque dies a summo malignitatis fastigio in plerisque Europae gentibus sensim sensimque recessisse et specierum priorum foeditatem in mitiores et simpliciores formas gradatim commutasse, videmus.

Astruc in libro suo de lue venerea, qui optimus certe est de hac materie, huncce gallici morbi decursum symptomatibus adeo singulis quam maxime perspicuum et manifestum ostendit (2) et postquam magnam testium catervam, qui scripserant ab anno 1564 ad annum 1735, proposuerat (3), qui, licet diversis temporibus et locis vixissent, tamen omnes uno ore conspirant, luem veneream ad interitum gradatim tendere, quamvis forsan pede claudo »denum ipse« pergit »ut et meum proferam testimonium, iterata et attentata observatione compertum dudum habeo, luem veneream sensim in dies mitigari et quamvis, ut est, praesentis aetatis in libidinum intemperantia haud rarius, imo contra frequentius

(1) Hecker Pinda 1837. p. 11—13. id. Gesch. p 612—613. aph. 27—28.

(2) Astruc Lib. I. cap. XIII. p. 94 et seq.

(3) id. p. 103—107.

forsan etiamnunc grassetur, debilius tamen jam pridem saevire, tam multa, tam horrenda curatu tam difficilia symptomata non inferre, remediis si caute adhibeantur minus pertinaciter reluctari, uno verbo vetustate pedetentim exolescere.«

Eo magis vero mirandum est, quod ne Astruc quidem, qui tam bene, tam diligenter hanc materiem tractavit, nexum syphilidis cognoverit, quo conjuncta semper fuit cum scorbuto et cum typho petechiali. Verba, quae fecit, optime nobis demonstrant, quantopere ab origine prima usque ad tempus, quo ille vixit, lues venerea priorem vehementiam abjecerit, neque id minus usque ad nostros dies evenit, formae enim, quas haec lues medicorum oculis etiamnunc apud plerasque gentes ostendit, tam mites et leves sunt, tantopere foeditate et malignitate pristini morbi gallici carent, ut miseriarum illarum, quas Caroli milites gentesque proxime subsequentibus saeculis ex illo perpessi sunt, memoriam vix renovare, nedum imaginem pristinarum specierum claram exprimere possint.

Aliud denique ex hisce nostris diebus sententiam, quam hucusque protuli de luis venereae origine et natura, quam maxime firmat: quaecunque enim hujus luis formae atrociores speciesque vehementiores et pertinaciores etiamnunc observentur, nusquam hae reperiuntur, nisi in terris iis, quibus scorbutus etiamnunc est dyscrasia communis et endemia, in Europae nempe terris ad Orientem et Septentrionem magis spectantibus; porro quum primum in lucem provenisset omnesque Europae terras occupasset morbus Gallicus, summa ejus semper saevitia et difficillima curatio ibi erat, ubi scorbuti vis et ferocitas maxima, ut in septentrionalibus terris.

In eo, quem Sueci et Norwegienses Radesyge nominant, morbo num forte lues venerea cum scorbuto complicata sit, necne, hac de re non ausim judicium ferre, quum morbus hic etiamnunc parum sit cognitus et perspectus, ergo disquisitionem desideret accuratiorem, quam de quo sententiam satis certam et manifestam provulgare liceat.

Ex hisce igitur omnibus, quae attuli hucusque de scorbuto, morbo cardiaco, sudore anglico, febri petechiali, lue venerea, commune quoddam hasce lues omnino diversas conjunxisse, satis constare mihi videtur, in quibus recte dijudi-

candis putridam constitutionem, quae per tot saecula omnes gentes Europaeas plus minus occupaverat, maximi esse momenti, quis negabit? Scorbutus per omnia haec saecula tamquam simplicissima et maxime divulgata fuit species, sub qua constitutio illa universalis ubivis sese proderet, recte igitur hic quasi dyscrasia temporum illorum universalis designatur ejusque historia sicuti in pathologia omnino, ita in explicandis praecipue caeteris illis luibus sine dubio quam gravissima est habenda.

Hos libros in tractanda hac materie evolvi:

De Scorbuto tractatus Danielis Sennerti Vratislaviensis Silesii D. et Medicinae in Academia Wittenbergensis Prof.

Cui accedunt ejusdem argumenti:

Balduini Ronssei Gaudensis de magnis Hippocratis Lienibus Pliniique Stomacace et Scelotyrbe seu vulgo dicto Scorbuto Commentarius. Ejusdem epistolae quinque ejusdem argumenti. Wittbg. MDLXXXV.

Joann. Echthii de Scorbuto vel Scorbutica passione Epitome.

Joann. Wieri de Scorbuto Tractatus.

Joann. Langii de Scorbuto Epistolae duae.

Scorbuti Historia proposita in publicum a Salomone Alberto Noribergensi Med. D. et in Acad. Witteb. Profess. Primario.

Additum est:

De Scorbuto Praeside Sal. Alberto Noribergensi Dr. Med. et Prof. ejus publ. Respondebit M. Ernestus Hettenbach Mergetham. Fr. Testimonium profectus sui in Doctrina et usu artis Medicae accepturus Die Martis XXII. Mane hora 7 in Collegio majori.

Scorbuti seu luis Sceletyrbicae Primordia, Causas etc. illustrata ac Selectissimis remediorum flosculis Opera Matthaei Martini Ascan. Med. Dr. ac Reip. Isleb. Phys. Ord. exorn. Jenae MDCXIV.

D. Joh. Drawitzens Bericht und Unterricht von der Krankh. des Scharbocks etc. Zum viertenmal gedruckt, fleissig corrigiret u. mit einer nothwendigen Vorrede d. Hrn. Dr. Joh. Michaelis etc. Leipz. 1704. (Die Vorrede ist vom Jahre 1647.)

De Scorbuto. Liber singularis. Autore Gualtero Charleton etc. Londini MDCLXXII.
D. Karl v. Mertens, K. K. u. Russ. K. Raths u. d. Arzneik. Dr. prakt. Bemerk. üb. verschied. Volkskr. Zweit. Theil Leipz. 1785.
Hieronymi Reusneri Nordlingensium Poliatri Diexcodicar. Exercit. Liber de Scorbuto etc. Franc. 1600.
De morbo Scorbuto Liber cum Observat. quibusd. etc. Aut. Sever. Eugaleno Doceumano. Edit. ult. rec. et emendata. Hagae-Comitis. A. MDCLVIII.
De Scorbuto Tractatus duo autore Balth. Brucaeo Doct. med. celeb. Hagae-Comitis MDCLVIII.
De Scorbuto Propositiones de quibus disputatum est publice Rostochii. Sub Vir. Clariss. Henr. Brucaeo Phil. et Med. Dr. et Prof. Hagae-Comitis MDCLVIII.
Speculum scorbuticum oder eigentliche Beschreib. d. Scharbocks in zwei unterschiedlichen Tractätlein verfasst u. s. w. durch Joh. Rötenbeck der Arzn. Dr. u. v. Casp. Horn, D. und Med. zu Nürnb. Nürnb. Im Jahr Christi MDCXXXIII.
Viel vergrösserter und hellerpolirter Scharbocks-Spiegel (oder eigentliche und ausführliche Beschreibung des nunmehr weitreissenden Scharbocks). In vier aufs neue unterschiedlichen Tractätlein verfasst und dem gemeinen Stadt- und Landmann zum Besten in Druck verfertigt. Nürnb. Im Jahre 1659. Durch Joh. Rötenbeck d. Arzn. Dr., Casp. Horn, Dr. Med. zu Nürnb., Hrn. Gregor. Horstium d. Arzn. Dr. Prof. etc. u. Hrn. Joh. Weyern Fürstlich Clevischen Dr. Med.
Erfurdische Chronica, ohne Namen des Verfassers, ohne Jahreszahl und Druckort, geschrieben. Im Besitz des Hrn. Prof. Hecker.
Mansfeldische Chronica, der erste Theil durch Hrn. Cyriacum Spangenberg. MDLXXII. Gedruckt zu Eisleben.
Dr. Phil. Gabr. Henslers, Königl. dänischen Archiaters, Stadtphysikus zu Altona etc. etc. Geschichte der Lustseuche, die zu Ende des XV. Jahrhunderts in Europa ausbrach. Erster Band. Hamburg 1789.
De morbis venereis Libri novem in quibus dissertum tum de origine etc. etc. Auctore Johanne Astruc, Regi a Consiliis medicis etc. etc. Editio altera auctior et emendatior etc. etc. Tomus I. II. Lutetiae Parisiorum MDCCXL.

D. Jacob Lind's, Arzt am königlichen Lazareth zu Hasar bei Portsmouth und Mitgliedes des königl. Collegium der Aerzte zu Edinburgh. Abhandlung vom Scharbock. Nach der zweiten Ausgabe aus d. Engl. übers. v. Dr. Johann Nathanael Poxold. Riga und Leipzig 1775.

Franz v. Schrand, K. K. Rath und Protomedici von Ungern. Nachrichten vom Scharbock in Ungarn im Jahr 1803 nebst Vorschriften der medicinischen Policey etc. Wien 1805.

Dr. Franz Milman, des königlichen Collegiums der Aerzte und der königlichen Societät der Wissenschaften zu London Mitgliedes Untersuchung über den Ursprung der Symptome des Scorbuts und des Faulfiebers. Aus dem Engl. übers. v. Dr. Herrmann Wilhelm Lindemann. Berlin 1795.

Ueber die Natur- u. Heilkunde der Faulfieber etc. von Dr. Aug. Friedr Hecker. Berlin 1809.

Ueber die Kriegspest alter und neuer Zeit etc. von Dr. Christ. Wilh. Hufeland, Königl. Preuss. Staatsrath. etc. Berlin 1814.

Ueber bie Erkenntniss und Heilung des Scorbuts. Eine praktische Abhandlung mit besonderer Rücksicht auf die K. K. Russische Marine v. Dr. Rudolph Krebel. Leipzig 1838.

Uebersicht über die Volkskrankheiten in Grossbritannien etc. v. E. E. Autenrieth. Dr. der Medicin, Mitglied der kaiserlichen Leopoldinischen Academie der Naturforscher zu Bonn etc. Tübingen 1812.

Geographische Nosologie etc. v. Friedr. Schnurrer. MD. Stuttgart 1814.

Historia de gentibus septentrionalibus etc. Auct. Olao Magno Gotho Archiepiscopo Upsalensi Suetiae et Gothiae Primate. Romae MDLV.

Joh. Schroeteri Einfältiger (doch gründlicher Bericht und Rathschlag wie man durch Gottes gnädige Hülfe und gute Ordnung) in diesen schweren Leufften der Pestilenz sich halten und bewahren soll. etc. Leipzig MDLXVI.

Versuch einer systematischen Darstellung der fieberhaften Volkskrankheiten nach medicinisch polizeilichen Grundsätzen. Von Georg Matth. Sporer, Dr. der Med. etc. Wien 1833.

Die Radesyge oder das scandinavische Syphiloid v. Dr. Ludw. Hünefeld. Leipz. 1828.

Hieronymi Fracastorii Veronensis Operum pars prior. Philosophica et Medica continens. Lugd. MDXCI.
Joh. Pringle's M. D. etc. Beobacht. üb. d. Krankh. einer Armee sowohl im Felde, als in Garnison. In 3 Theilen. A. d. Engl. ins Deutsche übers. von Joh. Ernst Greding. Altenburg 1754.
De morbo cardiaco Veterum dissertatio inauguralis medica auct. Frid. Boeger. Berolini 1835.
Ueber Pericarditis exsudatoria sanguinolenta u. Morbus cardiacus der Alten. Von Dr. Seydlitz, Oberarzt d. Seehospitals zu St. Petersburg in Heckers neuen wissenschaftlichen Annal. d. ges. Heilk. Bd. II. Hft. 2.
Der Englische Schweiss. Ein ärztlich. Beitr. z. Gesch. des 15ten u. 16ten Jahrh. v. Dr. J. F. C. Hecker. Berl. 1838.
Der schwarze Tod im 14ten Jahrhund. v. Dr. J. F. C. Hecker. Berl. 1839.
Geschichte der neuern Heilk. v. Dr. J. F. C. Hecker. Berl. 1839.
Rede zur Feier des acht und dreissigsten Stiftungstages des königl. med.-chir. Fridrich-Wilhelms-Instituts am 2ten August 1832. gehalten v. Dr. J. F. C. Hecker.
Rede zur Feier des drei und vierzigsten Stiftungstages des königl. med.-chir. Friedrich-Wilhelms-Instituts am 2ten August 1837. gehalten v. Dr. J. F. C. Hecker.

VITA.

Ego Carolus Arminius Langheinrich, die III. mensis Octobris anni MDCCCXVI. Berolini natus sum patre Joanne Carolo Friderico, qui in Summo Ministerio res sacras, scholasticas et medicas curante a rationibus fuerat, et matre Henrica Guilelma Sophia e gente Neumann, quos parentes jam dudum morte mihi ereptos lugeo. Confessioni evangelicae addictus prima litterarum elementa in schola patriae civitatis urbana hausi; deinde Gymnasium hujusce urbis, quod nominatur Fridericum Guilelmum et quod etiamnunc Directore Spilleke floret, adii. Inde anno MDCCCXXIX. ad gymnasium Züllichaviense me contuli, ubi per sex fere annos Directoris Steinbarth auspiciis studia humaniora tractavi. Anno MDCCCXXXV. maturitatis testimonio instructus almam patriae civitatis litterarum universitatem Fridericam Guilelmam petii, ubi a Rectore t. t. Magnifico Prof. Busch civium academicorum numero adscriptus, et a Joh. Müller De-

cano t. t. Spectabili in medicae facultatis album relatus hosce per quadriennium viros Illustr. et Celeber. disserentes audivi:

Ill. Hecker de encyclopaedia artis medicae, de pathologia et therapia universali et speciali, de medicinae historia. Ill. Müller de anatomia universali cum sensuum organorum anatomia, de anatomia comparata, de physiologia, de generatione, de anatomia pathologica. Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia et de splanchnologia. Ill. Müller una cum Ill. Schlemm artem cadavera rite secandi me docuerunt. Cel. Wiegmann de zoologia. Ill. Mitscherlich de chemia et zoochemia. Ill. Schultz de plantarum anatomia et physiologia. Cel. Dove de physice exper. Ill. Steffens de anthropologia. Cel. Trendelenburg de logice. Ill. Osann de materia medica. Ill. Kluge de ossium fracturis, de arte obstetricia theoretica, idemque me fascias imponere edocuit, neque minus una cum Ill. Jüngken ad akiurgiam et theoreticam et practicam me instituit. Ill. Horn de morbis syphiliticis. Ill. Rust de chirurgia generali et speciali. Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi. Ill. Busch de arte obstetricia theoretica. Beat. Bartels aphorismos Hippocratis mihi explicavit.

Exercitationibus clinicis et chirurgicis et medicis neque minus ophthalmiatricis, obstetriciis et de morbis syphiliticis interfui horum virorum Illustr. et Cel.: Cel. Wolff, Cel. Barez, Ill. Kluge, Ill. Rust, Ill. Busch, Ill. Juengken, Ill. Wagner, Ill. de Gräfe, Cel. Trüstedt.

Quibus viris omnibus, summopere venerandis optimeque de me meritis, gratias ago semperque agam, quas possum, maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico et examine rigoroso coram gratiosa facultate medica superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Morbi vehementiores una grassantes communicare inter se aliquid de propria ipsorum natura solent.
2. Morborum universalium natura ex temporum statu atque indole semper dependet.
3. Syphilis propriam naturam et malignitatem ex putrido elemento concepit.
4. Cutis eandem habet auctoritatem ad bonam valetudinem servandam quam pulmones.